ICONES SYMBOLICÆ VITÆ ET MORTIS B. IOSAPHAT MARTYRIS ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS,

EXPRESSÆ

&

Perillustri Domino,

D: GEORGIO STANISLAO SAPIEHA

PALATINIDÆ POLOCENSI CAPITANEO BORISOVIENSI

OBLATÆ

ab

ANDREA MŁODZIANOWSKI
Societatis IESV.

VILN: Typ: Acad: Soc: IESV. Anno Dni 1675.

E stato donato a me Michiele Goverzynski Canonico Re
golare Lateranense del Suo Canonico e della Sac. Teolog.
D. e Professore nel Convento del Corpus Dni in Casimir
app. Crac.


Plus Ultra
non ultra sidera
Romanum nomen
ET
FERIT E CRUCE GENTEM
PRÆLIA ET ARTE
Marte
Ingentem cellis Famam qui terminet astris,
Romuleæ teneat Sceptra Superba Plagæ.
Ausonidum longè minor est iam gloria: Famæ
Quando Sapiehanæ sunt breuis astra scopus.
Nam Cruce claue Poli Cælos reserante uolucris
Plus ultra nomen grande Sagitta feret.

AD PERILLVSTREM DOMINVM D. GEORGIVM STANISLAVM SAPIEHA

PALATINIDEM POLOCENSEM, CAPITANEVM BORISOVIENSEM,

DEDICATIO PANEGYRICA.

Symbolicas immortalium decorum Beatiſsimi *Iosaphat Pontificis Icones, in ſinu Ampliſſimæ Domûs Tuæ depono: Perilluſtris Domine. Quis enim melior in orbe noſtro locus, his grandium operum ſimulachris, aut deſiderari, aut reperiri poteſt; quàm Domeſticum tuum cælum, quod cæleſtium ignium imitator, magnorum Gentis Tuæ Procerum adornat ſplendor; & rectè factorum gloria, ad æmulam ipſis aſtris provehit ſerenitatem? Principem hîc ſiderum ſolem ne quiſpiam requirat; Illuſtriſſimus Antiquiſſimæ Proſapiæ Conditor, ſolare Non plùs vltra, ſigniferum emenſus Zodiacum, curſum per innumeras penè aſtrorum abſolvit domos: quia tot ſuccedaneos numerat Heroas, mirâ quâdam claritudine in ævum glorioſiſſimum radiantes. Quid quod, coæui clariſſimo Generi muricis fulgor, cum naſcente & moriente Cælorum certat purpurato. Hîc Togati Poloni ſenatûs Patres, ſapientiſſimi rerum è publico civium bono gerendarum arbitri, ut aſſiſtrices præſtò ſunt Intelligentiæ; hîc repentibus humi periculorum fatis ſuperior, cæli planè militia, contra Poloni Lithuaniq; nominis Siſaras, inſtructas explicat*

acies.

Descriptio ... Crux, Hominem, Redemit, Invenit, Saluti, Titulum,

acies. Cæli imaginem Ægyptum asseruit quondam Trismegistus, vel eo potissimùm nomine, quòd nunquam teterrima tempestatum nubila, pulchram placidissimi àëris exasperârint tranquillitatem. At & si nulla imbrem in Ægyptum effuderit procella, nullis æther inhorruerit nebulis: quoties tamen nimio candentes à sole, vel leui concitæ vento, nubem luci effuderunt arenæ? quoties ipse vbertatis parens Nilus euntibus sursum, telluris quam inundat, suisq; sudoribus, diem maculauit? Honorificæ appellationis vocabulum Ægyptus Sapiebanæ deferat stirpi. Quid enim in huius Poli ambitu non sudum? quid non serenum? ubi vel à Magnis Magnorum Heroum, post sera fata, lux venit umbris; ubi prosperum rerum secundarum cursum intercalari adversorum non interpellante nube, fulgurantis & tonantis Fortunæ meteora, tanquam ex alto despiciuntur Olympo; ubi septenario planetarum elegantiùs fulget numero, quidquid sanctum in virtutibus, augustum in fama, faustum in felicitate, magnum in nomine, in amplissimis quondam orbis suspexit familijs. Quodsi contendat non nemo, nec cœlo eundem semper esse vultum, micat fulgetris, fremit tonitruis: imò diurna non rarò serenitas, speciosa deformis partûs tempestatis, parens extitit: Non occulo Sapiehani Poli fulgura, non occulo fulmina; bellũ non nunquam veluti procella quædam in hostes detonat, in splendore fulgurantis non Hastæ, sed Gentilitiæ Sagittæ, Antagonistas dierũ dissipat noctes. Gemmeæ interdum grandinis pretiosam in sacras DEI, Diuorumq; ædes, demittit tempestatem; fulvum pallidumq; in egentium sinus sæpe pluit metallum. Si quod, & quando, hoc profectò semper

Grandinat gemmis, riguoq; cælum
Depluit auro.

Ita nimirum: toto in unam domum migrante Polo, domestici Illustrissimi Generis Terrigenæ, ad Cœlicolarum prove-

buntur felicitatẽ. An igitur non meritò novũ Perillustris Domine sideribus astrum insero: cum Illustrissimum totius olim Russiæ sidus, proprijs, non emendicatis coruscum splendoribus, Sapiehano consecro dicoq; nomini; Insuper & si sciam, plerosq; Diuorum, quos avita paternaq; Sapiebarum innumerato babet pietas, tot votis invitatos, tot bene meritis obstrictos, in Amplissimæ Domûs transisse municipes; hic tamen Beatissimus Martyr, nullius (dicam potiùs) non suus magis, quàm vester est, magno geminatæ titulo vobis obstrictus beneficentiæ. Age iam calame, ad originalem volatilis pennæ redi licentiam, atq; per tot retro annorum spatia, scribentis defer manum, & eruta ex infidelis memoriæ sepulchro, Sapiehanæ pietatis in Divum profer exempla. Vrbs Russiæ quondam nobilis Vitebscum, digna quæ caput Provinciæ & titulum Senatoribus faceret, à Vaticano Romanæ Ecclesiæ Principe divisa, fidem ad priuatos detorsit sensus, atq; (vt multa vitia appellationibus virtutum ad fraudem involvuntur) pertinaciæ erroris, constantiam in credendo prætexuit. Polocensis ea tempestate Archiepiscopus IOSAPHAT ad quem Vitebscensium cura spectabat, suo muneri ne deesset, quid intentatum reliquit, quo contumaces rebellium animos humanissimis flecteret sermonibus, & ad sacrosancta, cum Romanis excitaret fœdera? At efferatæ multitudinis rabies, malè errorem fidei reprobari postquam sensit, erroris sedem caput peti arbitrata insano furori crudelitatem suam permisit: nec priùs destitit, quàm insontis Iosaphat, vitam & sanguinem, concepto in Orthodoxi orbis Primatem litaret odio. Vindex immanissimi sceleris, à Sigismundo Poloniæ Rege, Illustrissimus Dominus Leo Sapieha, Palatinus Vilnensis, supremus Exercituum M. D. Lithuaniæ Dux destinatus, vnusq; è pluribus peridoneus visus est, qui pro orbis Capite

 Roma,

Roma, contra Acephalum ageret schisma. Et egit sanè, ut decebat virum, qui nullas necessitudines ad suæ fidei exitium fovebat; ad nullius potentiam in Dei cæliq; causa, leges æquitatemq; submittebat. Felix citra commentum Argus, pluribus oculis in reorum exitium vigilavit, centimanus Gygas parricidas ubique locorum palpavit. Sex supra decem sceleris Antesignani, idem mortis suæ habuêre theatrum, quod mergendo D. Præsuli delegerant. Nivè tanti facinoris portentum, suo natantes in tabo Parricidalium sic cariorum artus, aut terra teneret, aut àër sentiret: in glaciem execrabilis flagitiorum eluvies effusa, præterlabentiq; Dunæ negotium datum, ut deformia perfidarum mentium hospitia, ultra omnes amota terras, ad infidi elementi regnum mare deportaret? & grande piaculum, grandiore tumulo, vel toto obrueret Oceano. Quamvis verò non in omnes vltor desæuijt gladius: neminem tamen privilegium præterijt calamitatis: quando tota iure Ciuitatis priuata Ciuitas, ærumnosissimisq; colonorum legibus vivere iussa irrogati sensum spplicij, ad infelices transmisit posteros: qui priùs calamitosæ servitutis originem, ex nutricum nænijs, quàm nomina discerent Parentum: Ita nocentibus oppressis, Sapiehanæ virtutis adminiculo, triumphum egit Innocentia; atq; arcana in D. Martyrem augusti pectoris pietas, non vocalis tantùm famæ ministerio, sed & eruditorum vulgata calamo, Polonos ultra Lithuanosq; processit fines. Illustrissimi Parentis singularem in Divum Martyrem animi propensionem, cum sanguine planè ad se transfusam, orbi iterum spectandam exhibuit, Illustrissimus Dominus Leo Casimirus Sapieha; qui publicas publicâ fide, Procancellarius M. D. Lithuaniæ acceperat ceras, ut iis non nisi virtutes imprimeret; dignus profectò, cuius vulgando per orbem nomini Lithuanus accurrat Eques, nec non felici portento in Bellerophontem commutatus,

grandibus

grandibus meritis ad æternitatem devehendis, non pedes tantum, sed & alas accommodet. Violati per teterrimam cædem Pontificij honoris damna, singulari venerationis officio ut resarciret; sacris D. Martyris Lipsanis, loculum obtulit grandiorem. inter mutua artis pretijq; duella, victoria stante penes pretium, rarum æquè ac carum. Initium operi, humano sublimius, imo cæleste dedit consilium. Gedani quippe, Illustrissimo Procancellario, per quietem, reductâ cortinâ ipse Iosaphat conspectus, ex suo beneplacito fore rem, quam animo conceperat probavit; metallum, & architectum operis designavit. Purum solidumq; molem totam constituit argentum, trium supra sexaginta millium imperialium impendio fusũ; ubi ipsum sepulchrum, iure incunabula, vitã q; æternùm victuræ Sapiehanæ in Divum præbere credas beneficentiæ: fortiter deinde toleratæ à Iosaphat necis scenam, cùm perelegans aperit cælatura; preciosam in conspectu non Domini modò, sed & hominum Mortẽ Sanctorũ eius. exhibet Vt iã vel inter ipsos interfectores in metallũ conuersos, securus sit Iosaphat; & summæ moderationis genius, Magni Procãcellarij, in novo vindictæ perlegatur genere: dum pro reos innoxij sanguinis sicarios, grandi Heroicæ munificentiæ prodigio, non in lignum, aut saxum, sed mutavit in argentum. Succollantibus demum Angelorum humeris sacrum incumbit onus; magni coram Domino ponderis anathema, ipsis librari dextero ab Angelis; nec ullam unquam oblivionẽ nullis temporum injurijs oggeri posse muneri, quod quotidie Angelicis est præ manibus. O præclarã bene de immortalibus illis Divorum spiritibus merendi rationẽ! pretiosæ captivitati mancipare corpora, ut devincas animos: ita perennem nostri apud superos figere recordationem: ut priùs sui debeant oblivisci, quàm eorum non meminisse. à quibus tenentur non inviti. Sæculi vitium, & impotens periturorum cupido, affinitate

affinitate vocis cognata vocabula, caritatem, confundit cum charitate: ne quid ampliùs ulli æstimetur tanquam charum, quod non sit carum: magnes cordium aurum, hæc amoris domicilia in odiorum vertit officinas: quoties omni amore converso in res, odia exercentur in homines. Altiùs ipsis rerum sublunarium fastigijs, & euisceratæ telluris spolijs, Magni Leonis constitit animus; quando, hoc cui pretium humana fecit cupiditas, metallum, infra sacros D. Martyris humiliauit cineres, sanctum intemeratæ mentis Iosaphat diversorium argento prætulit. Sera iam sepulchralem hanc urnam suspice posteritas; si superos & cælestia cogitas, viventis domicilium, si caduca & terrena consideras, mortui Sapiehani dic Amoris sepulchrum: Laconicam insuper Magdalenei tumuli epigraphen, suo sculpe in trisyllabo. DILEXIT. Vmbris nonnulli devovent thesauros quasi Plutonis sine præsidio nec, ipse extra metum sit Plutus. Quod carum habuit in lucē protulit Leo, tenebrarum cistarumq; ergastulo clementissimus absolvit argentum, & (quod mirere ipsam D. Martyris Mortem artifice viuentem in metallo, miro quodam suæ beneficentiæ animavit ostento. Sed quid vetera commemoro? si tamen ea vetera sunt, quæ non tam ex Annalium monumentis eruuntur, quàm ex publico, posthumæ famæ præconio discuntur: eximio, cùm virtute certamine de pietate in Iosaphat, cum Illustrissimis Maioribus certant posteri. Illustrissimum Casimirum Ioannem Sapieha, Palatinum Polocensem, Patrem Tuum, Perillustris Domine cogita. Nec enim fortuitò, aut è temeraria cæcæ illi9 Deæ manu, fasces Amplissimi Palatinatûs Polocensis, ad Illustrissimum Tuum deuenêre Parentem; sed propitio veluti cœlo, suum præbente calculum, pro gubernaculis castri illius, quod Sacra Beatissimi Iosaphat tenet Lipsana, ad Illustrissimum D.D. Casimirū Sapieha deferendis: vt tam præclarè vindicatus, tam caro æstimatus

non

non sub alio, quàm sub Sapiehani nominis ac dextræ, Martyr esset præsidio. Et quidni ipsis in terra Cælitibus tuendis sufficiat Heros, qui haustum illustri vena sanguinem, suum nactus Euristeum, cæptum in virtutis stadio iter, Gyganteis ad metam promouet passibus: & cùm cæteros Amplissimæ Familiæ Proceres, tum Illustrissimum Palatinum Vilnensem Exercituum M. D. Lithuaniæ Ducem, Patrẽ suum, Avum verò Tuum, gladio & manu potentem Paulum Sapieha, cuius fidem in Patriam & Principem, nulla vnquam, aut fraus libauit, aut tempestas labefactauit, vivis recte factorum exhibet depictum coloribus. Ibit in fastos Annus septuagesimus secundus supra millesimum sexcentesimum, quo nefarius ille, regnorum prouinciarumq; helluo, Machometes Turcarum, totis se latè cis Tyrã infudit campis, nec sat hiantes in exitium publicum fauces solo explente Cameneco: ipsam ferali obsidione terruit Leopolim: colonias vastitate, municipia cæde, populos squallore ac mœrore compleuit, Polonis interea non arma, viros, animos, aut multitudinem, sed solam requirentibus vnitatem. Lithuani tunc ab initis cum Moscho fœderibus, missionem dederant militi: nullæ in expedito erant copiæ quæ commune vtriq; Genti incendium, barbarorum sanguine extinguerent; flammam à tectis, populationem ab agris, vastitatem ab vrbibus, necem à ciuibus, arcerent. Hîc comprimis cæteros inter Lithuanæ Gentis Dynastas virtus Illustrissimi Domini Parentis Tui enituit, quando nullis, nisi proprij ærarij stipendijs auctoratũ militem, pro aris & focis, pro Regiæ Maiestatis integritate, sub victore Gentilitiæ Sagittæ signo, ab ipsis Constantini temporibus, ad triumphos initiata cruce militaturum, scripsit. Priscæ deinde fidei, magnaq; animatum mente pectus, in omnem quem fata ferrent evẽtum, ad latus Serenissimi Regis Michaëlis admouit. Tales Magnis Maioribus non minores nascuntur posteri, dum non inane magni

nominis

nominis circumferunt simulachrum; sed grandibus titulis, ut vivant, suam inspirant animam, virtutem; dum paternas auitasq; Fortunas, non prodiga spargunt manu; sed publicis servant infortunijs: dum hæreditarijs lecto ex reditibus auro, Martium tanquā cote acuunt ferrum: citra omne Centimanorum Gygantum, tricorporeorumq; Gerionum commentum, ingens Reipublicæ corpus multis simul tuentur manibus. Digni sub quorum præsidio, contra temporum hominumq; iniurias, tutiores quàm sub Aiacis clypeo, ipsi in terris sint Superi. Interea, partâ uelut victoriâ, qui nunquam pugnaverat hostis, tumidus, leges Polonis dabat, qui iuratis olim ad Chocimum fœderibus, datas, tot attritus cladibus accipiebat. In uniuersam horrendum detonare Rempublicam, Christiano sævus imminere Orbi, Vrbibus, Prouincijs, ruinas & incendia, populis cædem ac sexcentas moliri mortes visus, recta in ruinam impellere, prostrata, extremo involvere statuit exitio. Lento ad grandia procedentibus passu, Equitum Procerumq; Polonæ Lithuanæq; Gentis Consilijs: bellum decretum est, ad quod communia omnium vota, privata studia, publica comitiorum consulta, sacrorum augusta solennia, referebantur. Quasi hoc uno cardine, Fortuna Civiū, Sors Poloniæ, Maiestas Regni, labefactata non nihil Sarmatici Nominis gloria, niteretur. Vsitato igitur bellorum feciali, tympanorum sono; Christianum contra Gentiles Martem personante, mirâ omnium ordinum alacritate ad bellum itum est. Arma priori movenda erant Poloniæ, quàm suis velut excita sedibus consecuta est Lithuania. Nam et Illustrissimi belli Duces, qui grandem nutantis belli Fortunam, suis sustinerent humeris, armis, viris, animis, instructas: magnis ad hosticum itineribus deduxêre copias: & carissima amplissimarum in Lithuania Familiarum pignora, militari adstricta numeravêre sacramento. Inter hæc, Illustrissimus Parens

Parens Tuus, Casimirus Sapieha, Palatinus Polocensis, priusquàm ingentem Turcici belli subiret procellam, ad Beatissimũ Martyrem & Pontificem Iosaphat, castri Polocensis indigetem, ad Tutelare veluti suæ Prosapiæ Numen contendit. Hîc, dum ad Aram Beatissimi Præsulis monumento proximam, res ageretur Diuina, sacro Fortium refectus cibo. levante Thaumaturgam Martyris manum, Illustrissimo Gabriele Kolenda, Archiepiscopo Polocensi, se ipso minor, nam de genibus, bene precanti Iosaphat sublimem inclinavit frontem. O præclarum Orthodoxæ pietatis exẽplum! pro Aris dimicaturo, ab Aris auxilia sumere; & augustã omnis bonæ spei basim, non in humanis, sed in Divinis locare præsidijs. Ibis, ibis Magne Heros per medias hostiũ acies, & toto potens DEO fulminali, bellicarum tonitrua machinarum, ut sterile sine telo fulmen, ut fatuos ridebis ignes. Publicis iam dudum consecratum curis caput, præsuleæ Crucis munitum signo, altiùs omni gentilium armorum efferes tempestate. Ne verò domesticis Illustrissimi Palatini impendijs scriptæ, eundem præsentem requirerent copiæ; adfuit, non ut theatralis alienæ spectator uirtutis, sed eximium Martiæ spectaculum fortitudinis. Quid sua sequentibus signa agendũ esset, non imperijs docuit, sed exemplis. Dux in agmine, Miles in acie, in arduis prior, in periculis nullo posterior Grandibus conflictum uniuerso exercitu occupante votis, hostemq; in Valachia quærendũ destinante, obstabat par magnis quibusq; Europæ fluminibus Tyras: effusa quippe imbrium vi, mirùm quantum intumuerat, & adlabentium per declive novæ undarum suppetiæ, amnem represserant, gravior anni tempestas, utpote in ipso autumni hyemisq; confinio, aquas exasperaverat: ardore nihilominus pugnandi, omnem Cæli, & regnantis in subdito suæ Dominationi elemento, frigoris asperitatem superante, ut nando flumẽ superaretur, decretum est. Hîc cæteros

inter Lithuanæ militiæ antesignanos, Illustrissimum Palatinum, Polocensem, non cunctatorem ad ripam Fabium, sed Heroico ausu sua præcedentem signa Ductorem, tanto animatus exemplo spectavit Miles. Apertum Martem barbarus, vallo, fossâ machinis bellicis, validoq; Ianizarorum cinctus præsidio detrectabat, in unam ab omnibus itum est sententiam, ut infames Regni Harpiæ, suo quærerentur in nido, cuius fiduciâ, robur nostrum despexerant. Signum proinde assultui classicis undiq; intonantibus, primos inter valli fossæq; obstacula emensus: per stratos hostilium cadaverum acervos, suorum currus agitavit triumphorum. Quantus in medium missilium telorum ruebat imbrem? quantus nimio eminentia fastu, hominum, ceu papaverum capita, non Tarquiniano supercilio, sed fulminatore Turcarum Scanderbegi demetebat brachio? qui cum illo venit ad manus, capitis minor decidit ad pedes, infelix congressu, cùm vincebatur à tanto, ipso nobilitabatur interitu. Tacete iam prisca veterum monumenta Dionysium, quòd sexaginta millia operarum exercuerit, cum mœnibus areas Siracusanas ambibat: Neronem Historiographi, quòd humeris corbem tulerit , cùm Isthmum Corinthiorum perfodiebat ;Caracallam annales, quòd semper initium laboris fecerit, cum in castris agebat: Manuelem Commenum Græci, quòd saxa veheret cùm Dorileum renovabat: Non boum onerandis nata cervicibus terrarum saxorumq; pondera, humero tulisse, non militaris principium tantùm pugnæ fecisse, sed grandibus Magnorum Heroum vestigijs, ancipitis in bello Fortunæ aleam impavidum subijsse, egisse unum, quod decebat singulos, coruscantium latè armorum fulgore, facem veluti cæteris. Illustissimum Parentem Tuũ prætulisse sera dicet posteritas; atq; in omnem retrò sæculorum memoriam rectè factorum eius extendet gloriam. Alia interea in

statione.

statione, eodem in campo, germana virtute. Paternâ Pauli Palatini Vilnensis, Exercituum Magni Ducatûs Lithuaniæ Ducis manu, Illustrissimus Dominus Franciscus Sapieha, Præfectus stabuli M.D. Lithuaniæ, acrior hosti instabat: iam desperatione victoriæ in furorem versum, propriæ vsq; ad spectantium admirationem prodigus vitæ, validâ ferebat dextrâ: iam labem nomini Polono aspersam, barbaro eluebat sanguine: iam reas violati fœderis mentes, abitu é corpore ferro patefacto, pro sceleris expiatione ad ipsos relegabat inferos: donec Illustri tinctus sanguine, Sidonio Tirioq; murice nobiliorem induit purpuram: servantibus ad publicam felicitatem vel ipsis fatis, tam nobile par Fratrum, quorũ alter incolumis omnib9 altior stetit periculis: alter grandi spiritu, angustam unius glandis aut pili viam dedignante, vocalem aviti roboris hiante velut ore clamantem retulit cicatricem: uterq; in siderum morem, pulchram lucis post se aperuit semitam. quâ digna Avis Proavisq; posteritas, sudum illud & ingens Sapiehanæ gloriæ attingeret serenum. Hæc dum commemoro, non intempestivus Orator. clarissimorum Polonæ & Lithvanæ Gentis Turcico hoc bello Heròûm album texerem; dicerem comprimis, robore Militum, virtute Ducum, Cannas Annibalis, Actium Augusti, Ciliciam Alexandri, Carthaginem Scipionis, Pharsaliam Cæsaris, ad æviternam Poloni Nominis famam in Valachiam translatam; sed vereor ne præcoci gaudio irritem Fortunam. Lacessitus, non deletus hostis est. Odrisij Draconis volumina, spirasq́3, licét ense dissolvas, rejectus mori totus nequit: caput amputes, vivit in nova capitum sobole, halitu pestem inhalat, & mutilata in membra multiplicat. Feralis illa luna dum laborat, maritimos commovet æstus; dum deficere & decrescere videtur, plenum orbem acuit in cornua; quibus cùm

 alia

alia Orthodoxa Regna, tum confinē, pupillam veluti Orbis Christiani, impetit Poloniam. Insuper, malo tantam ingentium operū molem, voce intra admirationem hærente, tacitus suspicere; quàm Laconica in Magnis uti brevitate: aut omnium sæculorum ambitu coronandam, Polonæ Lithuanæq; gentis famam, exiguis unius paginæ circumscribere terminis. Citra piaculum tamen Illustrissimos Sapiehanæ Prosapiæ Proceres, quos in Te uno Perillustris Domine hæ Symbolicæ grandium Magni Martyris Iosaphat operum spectant Icones, præterire non licuit. Ad Te universa hæc hæreditario cum iure veniunt decora; quæ Tibi prisca Maiorum adhuc in cunis, paternaq; elaboravit gloria. Peregrina alij ex annalium monumentis suscitent, quæ sequantur exēpla; Tu quot in terrestri veluti quodam Familiæ tuæ Pantheo, & belli & pacis artibus insignes suspicis Heròas; tot acerrimos ad gloriam experiris stimulos. Prætereo cæteros, habes avitam tot gentium, Polono Lithuanoq; Nomini infensissimarum trophæis celebrem, atq; etiamnum superstitem recte factorum memoriam; hæc Tibi tritum ad augusta monstrat callem: habes proxima Turcici belli tempestate, magnis & felicibus ausis spectabilem, Illustrissimum Parentem Tuum; sub hoc Tu Chirone in Heròëm novus formaberis Achilles:

> *Accipiat Patris exemplum, tribuatque Nepoti*
> *Filius, & cæptis non desit fascibus hæres.* Clau:

Perge, quo Te Superi secundis vocant auspicijs, quo mortales unà mecum omnibus rapiunt votis. Adolesce in eam quam augur bonorum omnium pollicetur animus, felicitatis maturitatem inter palmas, Laurosq; nati Sapiehani Nominis magnitudinem paribus æqua factis; tuum erit, ad omnem seræ posteritatis memoriam: non nisi maxima gerere, ut nostra hæc ferax Literatorū

ætas,

ætas, suppeditet, qui Comite calamo, gesta possint excipere. Ita prono in omne obsequium precor animo: atq; has Symbolicas Icones, quibus obscura scribentis sepia, non nihil offudit umbræ, sereno collustres vultu: etiam atque etiam peto.

Perillustris Domini Honori & obsequijs

addictissimus

ANDREAS MŁODZIANOWSKI
Societatis IESV.

Facultas. R. P. Provincialis

ANDREAS WONOWICZ Præpositus Provincialis Societatis IESV per Prouinciam Lituaniæ, potestate mihi ad id facta ab Adm R. P. nostro Ioanne Paulo Oliva Præposito Generali, concedo, ut Liber, cui inscriptio ICONES SYMBOLICÆ vitæ & MORTIS BEATI IOSAPHAT; à P. Andrea Młodzianowski Societatis nostræ Sacerdote concinnatus, & ab aliquot Theologis eiusdem Societatis revisus, ac approbatus, typis mandetur.

Vilnæ Anno Domini 1675. 8 Februarij.

Idem qui supra. *m. p.*

Compendium vitæ B. Iosaphat, Archiepiscopi Polocẽsis Martyris.

Patriam Iosaphat Kuncevicius nactus est, Vlodimiriam urbem in ea Russiæ ora, quæ Volhynia Polonis nuncupatur sitam: Gabrielem, & Marinam Parentes, non Consulari modò Magistratu, sed & Orthodoxæ pietatis exemplis insignes. Pervetustam eorum originem, ad Nobilissimam Kunceviciorum Familiam, pro insigni Gentilitio, Rosâ utentium, refert Iacobus Susza, Episcopus Chelmensis, in vita Divo Iosaphat scripta; additq; euntium in orbem rerum in orbe vitio, ab hac Fortuna, non tamen à præclara cum virtute indole defloruisse. Ab his Iosaphat derivatam cum sanguine, haustam cum lacte, integerrimè coluit probitatem. Cùm puer admodum in Ecclesia S. Martyris Parasceves, in qua Christiãis initiatus fuerat mysterijs, pẽdẽtis de Cruce Salvatoris cõspexisset effigiem, didicissetq; Parentum Magisterio, DEI hominis extremo pro salute mundi affecti supplicio hanc esse iconem; repentè è latere Crucifixi erumpens scintilla, ad intimos tenerrimi Spectatoris penetravit sinus. Nec sub operosi elementi imagine; gratia DEI in Iosaphat vacua fuit: nam exinde pietatis studia ardentiùs colere, familiarium consortio ereptas horas, DEo Divinisq; rebus impendere, puerile nihil, præter ætatem agere visus est. Surgentibus annis, Adolescentulus, Maiorum suorum voluntate mercaturæ assuescere, inter obsequia unius è negotiatoribus Vilnensibus iussus; omne studium ad comparanda Cælestia lucra, ex Evangelico præscripto, per animæ salutariter perditæ detrimenta, convertit. Hinc concessa quieti tempora sacris impendere supplicationibus, maturo ad Ecclesiam itinere lucem antevertere, æris campani sonitu, populum ad

laudes

laudes DEo persolvendas convocare, solenne illi fuit; donec viginti annos natus, Religiosam Magni Basilij indutus vestem, ad Ecclesiā Sanctissimæ Trinitatis à Schismaticis desertam, angustum propè ingressum insedit cubiculum; ubi precario eoq; parcissimo pane victitans, ad veterem illam Eremitarum normam vitam instituit: asperitate corporis; & assumptis sponte supplicijs, nulli eorum, quos magnos in ipso vitæ Religiosæ tyrocinio legimus, inferior. Stylitarum antiquorum æmulus, nudipes, lapidi in quem imminens canalis collectos è templi tecto exonerabat imbres, insistens; integras exigebat noctes. Strenuus Angelicæ integritatis propugnator, Fæminam, labefactandæ pudicitiæ causa, dolo quopiam cubiculum ingressam, cùm compositis ad S. severitatem verbis exigere non posset, exegit verberibus, Inter hæc Velaminus Rucki religiosissimus vir, domum tyrocinij Religiosi ad præfatam S. Trinitatis ædē instituit, hoc Magistro spiritûs Iosaphat, cæteris sub signis Magni Basilij stipendia merentibus commilitonibus, omnibus absolutæ numeris Religiosæ vitæ exhibuit exemplar. Ætatis mensuram æquante uirtute, in virum adolevit perfectum, flexanimi ad nutum imperantis voluntate, assiduo orandi studio, singulari Augustissimæ Cælorum Reginæ cultu, ardentissimâ DEi proximiq; comprimis excelluit charitate. Ad hæc infracti in adversorum tolerantia roboris, infensissimos contra se pugnantium odijs animos, mirâ felicitate, ad placidissimæ pacis sensum componebat: ut non iniuriâ illud occuparet elogium, quod Magno, Gregorius Nazianzenus tribuit Basilio, dum inquit: Factus est Adamas percutientibus, Magnes dissidentibus. Ad Divinas Eucharistici Panis dapes quotidianus conviva, non sine exuberanti, cælestis sensu dulcedinis accedebat. Hoc munitus præsidio, post fusas ad Dominum preces, lemures templo infestos, non sine prodigio exegit. Lucrandarum animarum

zelo

zelo intentus, in reorum ergastulis frequens, in vijs ac compitis tuctorum ac rudium animos, salutari imbuebat catechesi. Pro restituendis vnitati Ecclesiæ Schismaticis, quos orientalium error à Romano divisit capite, mirùm quantùm sollicitus; vt solidius pro vno omnium fidelium Romæ Principe, & pro Spiritus S. à Patre & Filio processione ageret: privato Theologiæ studio, captui Auditoris accommodante doctrinam Patre Fabricio Greza Societatis IESV, operam dedit. Nè verò quid in lucrandis A Catholicorum animis prætermisisse videretur, visebat nonnullos in domibus, venerabatur alios in plateis, exorabat precibus, exhortabatur concionibus vt Schismate ejurato vnionem amplecterentur, minimèque obscuris indicabat verbis; se pro vno orthodoxi cætus Capite, non illibenter moriturum. Et certè parùm abfuit, quin non in irritū caderent vota, inter tot ac tanta vitæ discrimina, nisi vnus in omnibus periculis protector DEVS, maiori certamini, & Athletico agoni Martyrem servâsset. Iam tantus erat Iosaphat, vt virtutis suffragio par maximis videretur honoribus, quos ille & si majore penè contentione declinaret, quâm nonnulli solent ambire, parere tamen jussus, Zurovicijs Religiosum adijt Magistratum; deinde Vilnæ Abbas (Archimandritam Græci vocant) creatus est. Regendi munere sublimior, summâ animi moderatione omnibus inferior, beneficentiâ in pauperes, austerâ victus parcitate, crebra corporis flagellatione, cæterisq; rectè factorum apparuit auctus insignibus. Exactis ad omnem virtutis normam illibatæ vitæ rationibus, insignem Iosaphat Sanct memiam, placuit Divinæ bonitati sequentibus illustrare signis. Lapidem contactu pedum Iosaphat dedicatum, minutatim sumptum, curandis corporum languoribus peridoneum Vilna probavit. Cùm per noctem Polociæ ante ædem S. Sophiæ coram icone Augustissimæ Matris preces funderet; radijs cum

cum ex eadem icone delapsis circumfusum, sursumq; elevatum, duo è famulis ipsius Iosaphat ex occulto conspexerunt. Refectionis horâ imminente, victûs inopiâ Religiosâ laborabat Domus, Iosaphat ingentis spei plenus, post fusas ad Dominum preces, vbi mensis accumbere jussit Fratres, duo Iuvenes nulli cogniti, benè conditos, ad triclinium intulêre cibos, monueruntque, vt irent qui præstolantem ad ostia Monasterij victualium copiam, reciperent. Ære alieno oppressæ Matronæ, cùm succurrere non posset, Divino planè munere, quingentos aureos oblatos, redux ab oratione percepit, nam qui obtulerat ignotus erat, & repentè conspectui se eripuit. Demum vim suæ passus modestiæ, bonorum omnium voto, eorum, qui illi cum imperio præerant arbitrio, Archiepiscopus Polocensis inauguratus est. Hic boni Pastoris partes vt impleret nullis se vinci præmijs, absterreri periculis, passus est, vt authoritate quâ pollebat, potestate quam cum amplissima acceperat Provincia, palabundas ad vnum ovile & Pastorem oves non cogeret. Vnde in tantum Schismaticorum incurrit odium, vt palam in exitium Præsulis sacrilego se obstringerent Sacramento. Tumultuatum est comprimis in Curia Polocensi, sed equestris ordinis præsidio, salus Iosaphat stetit in integro. Vitebscum itaq; iter Archiepiscopus instituens, imminentis proximè non ignarus Mortis, sepulchralem secum detulit loculum. Hîc sua in aula commorantem Iosaphat, suavissimoq; cum Cælitibus in oratione commertio agonem suum prævenientem, Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, die duodecima Novembris, signo priùs in Curia, ac per omnes Ecclesias dato, Schismatici tumultuario aggrediuntur agmine, Ministros Præsulis diris conficiunt vulneribus: horum motus ejulatu ac clamoribus, dum ad armatam iterato prodit multitudinem Iosaphat, gravi fuste primùm ad terram deiectus, deinde geminato in vertice securis

ictu

ictu confectus, Martyr occubuit. Sævitum ultra Mortem, nam varijs injuris, ac verberibus exagitarunt exanimem Sacrilegi. Præcipitatum postremò de monte, lintri imponentes, adverso flumine Dunâ avexêre, & additis ad collum & pedes lapidum ponderibus, in loco ad viginti cubitos alto, demersère. Non defuêrunt prodigia, quæ ex templo insontis Pontificis Mortem exceperunt. Hæc penultimo insinuata patent elogio. Vindex immanissimi sceleris, Illustrissimus Dominus Leo Saphieha, Palatinus Vilnensis, à Sigismundo III. Rege electus est, ejusdem Illustrissimi Filius Leo Casimirus Sapieha Procancellarius Magni Ducatûs Lithvaniæ, tumulum Divo Martyri argenteum, cælaturâ peractæ cædis insignem, erexit. Vrbanus verò octavus celebrandi Missam, & recitandi officium de Beato Martyre Iosaphato, licentiam peculiari indulto concessit. Die 16. Maij M. D. C. XL III. Pontificatus sui xx.

Piis Oritur Parentibus.



Candida ſilveſtres non gignunt Lilia dumi,
  Nec roſeas aſper, fert paliurus opes.
Radicis ſuccos botrus trahit, arboris atq;
  Sũt bona mala, bonæ; ſũt mala mala, malæ,
Ioſaphat eia bonis Genitoribus orte, bonorũ
  Hæres magnorum, nam bonitatis eris.

ELOGIUM I.

Sunt suæ telluri Venæ,
hæ Cælo incisæ, aurum in nostros fundunt sinus:
Vt viuant illi, quibus hic terræ sanguis est pro anima.
Haustos quæris quo vertat succos propago?
(Verbum pro nomine accipe)
respondet, propago.
A radice per thyrsum ascendens terræ filius humor,
Vuæ, botri, vini,
Legitimam nobilium participat familiam titulorum.
Acceptarum vbi deest communio gratiarum,
fæcundæ Matris Naturæ improlis partus,
Regina sine populo regnat sterilitas.
Quæ cernitur fæcunditas in rebus, eadem est in moribus.
a. Errat, qui quod de Phænice, idem sentit & de virtute.
Eius species non saluatur in indiuiduo;
Sed vt vitium vitia,
ita virtus multiplicat virtutes.
Malitia & bonitas longâ serie suos respiciunt protoplastas.
Generosa germina similes repullulant in ortus.

---

a *Nobilis in Arabia Auis Phœnix, vna toto orbe tantùm esse, scribitur ab Authoribus.*

sæpiùs

a. Sæpiùs Blancæ ferunt Orbi Ludouicos,
b. Agripinæ Nerones,
c. quàm Edesij Margaritas. Dioſcori Barbaras?
Quid Ioſaphat?
Vnus duorum Parentum cùm hæreditet bona,
Nulla vitiorum admittet mala.
Extinguant nonulli Maiorum famam, ne arguantur degeneres;
at non extinguitur, qui deſideratur extinctus.
Gratus acceptæ vitæ Ioſaphat,
reddet vitam Parentibus.
Viuent & ſpirabunt, pij in pijſſimo.
Si Spicæ germen à radice venit & culmo;
frugi Pater & Mater,
bonæ frugis Vbertatem promittit in filio.
Hauſta cum lacte, transmiſſa cum ſanguine probitas,
in Regno virtutis primò candidatum,
deinde Regem Ioſaphat promittit purpuratum.
Virtutis eſt monſtra domare non parere
Degener quippe bono Patri filius,
errantis in alienos fætus naturæ oſtentum eſt.

A. Blanca pia S. Ludouici Galliæ Regis Mater. in vitis Sanctorum. Pater Skarga b. Neronis Pater, negabat ex ſe, & Agripina, quidpiam, niſi deteſtabile naſci potuiſſe. Suetonius in Nerone. C. Edeſius idolorum Sacerdos, Parens S: Margaretæ, Dioſcorus, Parens S. Barbaræ, gentilis, filiæ interfector. In vitis SS. Pater Skarga.

PATRIA IOSAPHAT VLODIMIRIA:
PARENTES GABRIEL & MARINA.



Spem, noſtrum certam venturæ pacis in orbẽ
  Patria dat, Mater Ioſaphat, atq; Pater.
Cedat vt inſani procul anceps alea belli,
  Expectata diu fædera fert olea.
Sarmaticos pacem doctura columba triones:
  Roſtro, roſtrorum quàm bene munus obit.

ELO.

ELOGIUM II.

Quid clangis vocale æs & os buccinæ,
Socium è terræ latebris evocas ferrum?
En qui torturam ignis in ſuo vt vindicet tortore;
humanum bibit ſanguinem.
Erroneo pede, humanâ dum vtitur manu,
d. errorem Scæuolæ multiplicat,
innoxia pro noxijs pererrando viſcera.
Cane tuba receptui:
Cuſum in vomeres & ſarculos ad hoſpitale ſolum
retrahant boves ferrum.
e. Vlodimiria potens pacis Vrbs,
Sepulchrum bello, incunabula præbet paci.
f. In eiuſdem togæ gremio tulerit pacem & bellum Fabius:
At, ſub armati Martis interdicto,
Nulla Bellonæ cum Iano nuptialium fæderum ſolennia.
Sæuienti ad rabiem fæminæ,
quæ cum pacato viro commercia?
Funereis cupreſſis nihil cum pacificis oleis.

---

d. De errore Scæuolæ, qui Porſenam Regem, Romam obſidentem interfecturus, incidit in eius Purpuratũ: Livius Florus. e. Vlodimiria ex vernaculo władam mirem, moderor pacem. f. Fabius Romanus, bellum Pœnis denuntians, togæ gremio monſtrato, inquit: in hoc ego ſinu bellũ pacemq; porto. Florus lib. 2. cap. 5.

g. pro-

g. Procul è Volynia Getæ,
Pulchrum fæderis nomen, arcum linquite.
alatos mortis celeres, sagittas,
ad Thracios deportate fines.
Sancitis mundum inter & cælum fæderibus celebrem,
Nazareth Iudæam,
tuam Vlodimiria dic sororem.
o felix fæderum omen,
Gabrielis & MARIÆ in Marina nomen!
Senescente mundo, si & pax consenuit:
sub ijsdem credo renascetur,
sub quibus nata est nominibus.
Exorere felicissime pacis prodrome Iosaphat,
h. quo ferrea primùm,
desinet ac toto surget gens aurea mundo.
Faber armorum, cos odiorum, Græcum apage schisma.
Angelus hic pacis, vtraq; cùm faciet vnum,
interibis.
Nam quæ concordant, demptâ,
quæ dissident, positâ,
moriuntur vnione.

---

g. Volynia Scytharum incursionibus obuia: inhac Prouincia natus Iozaphat. h. Virgilius Ecloga. 4. Qui fecit vtraq; vnum. Ephes. 2.

MIRA

MIRA MORUM MATURITATE
EXCELLIT IN PVERITIA.



Splẽdidus Heſperiis quãdo cõſurgit ab vndis
  Per caua Sol infans integer aſtra micat.
Ioſaphat haud aliter teneris maturus in annis,
  Eſt cano morum par grauitate ſeni.
Ioſaphat ergo ſenem ſi præmatura iuventus
  Moribus oſtendit; vir puer eſt genitus.

ELO-

ELOGIUM III.

Si diu vixit, quiſquis diu ſenex fuit;
quantum breuitati vitæ addis,
dum pueritiam ordiris à ſenio,
ſenilis puer ô Ioſaphat?
Non ſolis iam,
i. Cæſaribus virtus contigit ante diem;
Sed & in te,
k. ingenium cæleſte ſuis velocius annis
ſurgit.
Pulcherrima hæc lucra ſunt:
anguſta vivendi tempòra antevertere virtute.
Prætextæ, togam;
& teneris annis, canos induere mores.
Qui citò ſapiunt, diu ſapiunt:
canam ſenum prudentiam inchoant pueri,
Vel in prætexta digni conſidere inter Prætextatos.
Nec virtuti ſenum aliquid detrahit probitas iuvenum;
imò, cùm præoccupant annos moribus,
ætatem extendunt rectefactis.
Tempeſtiva maturitas,
probroſam abolet de ſenibus parœmiam.

---

i. *Rigordus in Horologio Principum.* k. *Ovidius apud eundem cap. XL.*

Vt non bis pueri,
Sed bis senes audiant:
Inopiæ judicium censetur crescere cum tempore,
& mores debere moræ,
In necessitatis ius, non probitatis venit censum.
l. Procul hinc Pòëtici cerebri alchimia: toste Æson,
fictus senex in iuvenem dum fingeris,
totus figmentum es.
Tuæ prodigium virtutis est ô Iosaphat,
senex pueritia,
adultus in flore fructus,
in aurora ætatis, vesper maturitatis.
Coæua cæteris pueris leuitas,
ad omnem licentiæ excurrit peripheriam.
Te tua in rerum omnium centro ita fixit grauitas,
Vt extra te nullus, intra te sis totus.
m. Multiformis quippe nescit esse Proteus,
qui nec sene, nec juvene,
sed eodem semper, & immutabili manet in DEO.

---

l. Æsonem Patrem, Iasonis rogatu, à Medea è sene iuvenem factum dicunt Pòëtæ. m. Proteum Ægypti Regem: in varias formas se vertere solitum, scribit Dio Lib. 2.

SINGULARI AFFECTU JESUM CRUCIFIXUM CONTEMPLATUR.



Alpha notat uitã, triste notat omega mortẽ,
Iosaphat in Christo spectat utrumq; libro:
Et noua dum mortis vitæq; duella revolvit,
Vivendi discit commoriendo modum.
O quam grande mori lucrum censebitur illi,
Artem viuendi, qui moriendo sciet?

ELOGIUM IV.

Vitam & Mortem, humanæ vitæ α & Ω
Diuinæ tyro literaturæ Iosaphat discit:
dum mortis characteres in vitæ legit libro.
Magistrum sententiarum Euangelicarum dixero,
n. non tomum, sed atomum.
Sacro interveniente interdicto,
o. non comminuetis.
sectionum tamen quantus apparuit numerus!
& in vno opere,
ab operarijs iniquitatis tot distincta prodiêre opuscula;
quot cruentæ notæ.
p. Proh! emendatum hunc vbi iniquus censor voluit Librum,
quot successêre correctiones!
q. Litera alibi,
Sanguinea hic occidit litura.
Vel si scripturam libet dicere,
dic acuto flagellorum stylo exaratam,
quam extrema periodo clausit Longinus,
quando punctum non sine grandi fecit punctura.

---

n. Atomus ex Græco indivisus. o. Os non comminuetis ex eo. Ioan. 19. p. Emendatum ergo illum dimittam, Lucæ 23. ait Pilatus. q. Litera enim occidit. 2. Corinth. 3.

Viden vt huic impallescit libro Iosaphat ✠

mortualis, quippe color hic est, quem induit,

dum hinc, moriendo discit viuere.

Novum ΥΣΤΕΡΟΝ ΠΡΟΤΕΡΟΝ mirare spectator,

ab vltima rerum linea,

principia sumuntur discendi,

quando mors vitæ perpenditur.

r. Insuper, vnum Crucis lignum, artifex amor in amplissimam vertit cathedram,

è qua Iosaphat nouæ lectionem audit sapientiæ.

Hîc profugæ mundi felicitatis statorem,

factum redempti generis humani stateram.

Vt mundus viveret, mundi vitam esse peremptam;

nil doceri felicius, nil disci vtiliùs,

quàm nosse,

quomodo perdas animam in mortem brevem,

Vt reperias in vitam perennem.

---

r. *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, est cathedra Magistri docentis. S Augustinus. Tractatu* 10. *in Ioannem.*

SCIN-

SCINTILLA IGNIS IN SINVM IOSAPHAT E CRVCIFIXI IMAGINE DESCENDIT.



Candidus æſtiui Phænix Hyperionis ales,
Vrget odoratum per flabra bina rogum.
Empyrei flammam Phænix en noſter amoris,
De cruce ceu geminis excitat ipſe flabris.
Cũ ſit odor Chriſti bonus, vſtus Ioſaphat iſto
Igne, ſuo gratum fit thymiama DEO.

Phœnicem ſeneſcentem ex caſiæ thuriſq; ſurculis conſtruere rogum, quo accenſo à ſole, ipſum ſuper emori, tradit Manilius.

ELO-

ELOGIUM V.

S. Qui ignem venit missurus in terras,
quàm verè id fecerit viuus,
vel inde collige,
quòd idem præstet & pictus.
In primo in orbem ingressu,
Vt aptam concipendæ flammæ materiam inveniret,
requieuit in feno.
Hoc illum & nunc agere ille ambigat,
qui omnem carnem esse fenum ignorat.
T. Incendium olim Romam splendori peperit & Regno,
Troianis é flammis, hæc vrbs ad terrarum imperium nata est.
At nunc,
ô quam splendidè per ignem illabitur felicitas,
cùm á DEO, & DEO ardere beatum sit.
Vitali hac plagâ saucium cor,
Diuinæ erit vitæ principium;
Celer ad omnia motus vitam prodet;
Operosi elementi in amore imago,
Otium ne in vocabulo quidem admittit.
Nam & amo actiuum, & amor actiuus est.

S. Ignem veni mittere in terram, Lucæ. 12. *T. Incendio deletâ Troiâ, Troiani profugi, Vrbi Romæ initia dedêre. Livius Lib.* 1. *Omnis caro fenum Isaiæ.* 40.

Cape


Cape hanc future flamen flammam;
Sacrificio in cruce vespertino nè ignis & thymiama desit,
facies;
cúm flagrando, fragrabis,
u. Bonus odor Christi in omni loco.
Aut novus novæ legis Nòé.
Post expiatum Dominici sanguinis diluvio mundum,
offer holocaustum Domino.
En prodigus sui in nostra commoda noster Phænix,
bina brachia ceu alas accomodat in flabra.
ab hoc flammifero afflatu,
Tu, idem ipse offerens, & victima,
cùm citra combustionem ardebis:
a. b. c. Rubi, asbesti, Salamandræ, miracula mundo reduces
d. & ignem hunc, plus, quàm Vestali religione
facies æternum.
Ignis quippe Diuinus, qui omnia consummat in melius,
nihil consumit in deterius,
æternus est.

---

u. Christi bonus odor sumus in omni loco. 2. Corinth. 2. a De rubo ardente incombusto, Exodi 3. b. Lini genus igne non exuritur, sed locó aquæ: vt lavetur ignem habet. Plinius. c. Salamándra ex lacertarum genere, vivit in igne, Aristoteles. d. Focum Vestæ Deæ virginibus colendum Numa Pompilius dedit. Florus lib. 1. cap. 2.

PLV-

PULSU CAMPANARUM HOMINES AD DIVINAS EXCITAT LAUDES.



Seu caput æquoreis Titan demergat in vndis,
Seu medio placidum proferat axe diem:
Sedulus o quoties grandi pendentia pulſu,
Ante ſacram impellis Ioſaphat æra, domum:
Vocalis quantùm dici tua dextra meretur,
Supples, quando cies æra, tot ora, manu.

ELO.

ELOGIUM VI.

e. Non sola sapientia in plateis dat vocem suam,
sed & magna virtus vbique vocalis est,
cùm non voce modò, sed & manu ad Deũ homines cõvocat Iosaphat.
amplior sonus est,
f. quàm si nola verteretur in Nolam,
g. campana in Campaniam.
Currite parvuli.
h. Vos novellos apum fetus æris tinnitu aduocat hic mellifluus.
i. Lunæ eclipsim prohibebant Indi campani æris sonitu,
k. quisquis mutaris vt Luna,
l, solem inter Deum & te ingerente se terrâ,
ne eclipsim patiaris:
pulsu campanam, te sono petit Iosaphat;
Vt ante terram & humana,
Cælum cogites & Divina.
In cornua & litubs qui suum diuidunt spiritum,
quàm male alijs rapiunt alienum:
hos ad bellum animant.

---

e. Proverb. 1. f. Nola, vrbs Campaniæ. g. Campania: Italiæ regio. h. Apum examina tinnitus moratur: i. Pater Ines in Elogijs S. Xaverij. k. stultus, sicut luna mutatur Eccl: 27. l. Ex interpositione terræ inter solem & lunam, fit eclipsis. Pymander Mercurij L. 4. cap. 5.

Vt illos exanimet.
Dat sonitu vitam Iosaphat;
m. Cùm quos lethalis desidiæ tarantula lecto affixit,
ad hanc consurgunt Musicam,
n. supra fabulosos Corybantum pulsus,
à campana vita hîc venit Divina,
o. qua Deo, Dij & filij vivunt excelsi.
Feri tortores tympanistæ,
in tympani equuleo dum torquent, & exanimes verberant feras;
efferant homines.
sonus æris, dum populum convocat in vnum:
Matrem mansuetudinis colligit ad vnitatem.
Alienum æs multos hucvsq; fecit miseros,
Iosaphat ære suo obstrictos,
Omnes facit beatos.
Tempestivam pietatem in Deum illi sic debent,
Vt rei Divini cultûs non sint.
æneo præcone ad Divina vocati,
p. beati qui audiunt verbum DEI.

---

m. Tarantula Lacertæ minori similis, ab ea icti canunt, dormiunt, concentus si statim ictis adhibeatur, tamdiu tripudiant, donec venenum consumant vires. Plinius. o. Dij estis & filij excelsi omnes. Psalm: 81. n. Corybantes sacerdotes Cibeles, Iovem educabant, & ne Saturnus, qui filios devorabat, vagientē audiret, tinnitus fecisse dicuntur à Poëtis. p. Lucæ. 11.

AD

AD ÆDEM TRINITATIS a SCHISMATICIS DESERTAM SOLITARIVS DEGIT.



Sunt vno cernis prorſus nihil omnia dempto,
Scilicet vna facit multa valere monas.
Multus eris totas extra cum Numine turbas:
Eſt cum Diuino Numine nil, aliquid.
Nullus eris multas inter, ſine Numine turbas.
Omnia ſunt vno nam nihil absq; DEO.

ELOGIUM VII.

Proh Diuinam Nemesim!
q Quo, nisi ad triformem sponte fugitis Hecaten,
quibus & inter homines displicet vnitas;
& in DEO malè tractatur Trinitas.
Odijs vos deuoveo humanis,
r. qui de amore malè sentitis Diuino,
Schismatici.

Hem Deum pacis in dissidiorum ansam sumitis!
s. Nihil quippe ita facit dissidium, vt de DEO dissensio.
o Sacrum Monasterium,
quod sanctissima sibi vendicat monas.
o desertum sine deserto!
quod adoranda occupat Trias.

Hìc solus, minimè solus versatur Iosaphat,
nulla quippe minor est cum quo verseris inopia,
quàm vbi Diuinæ Trinitatis est copia.
t. Dominus in templo Sancto suo,
tam in hoc ad quod degit,
quàm quòd ipse est Iosaphat.

---

q. *Hecate vxor Plutonis, triformis dicta, quód sit Luna in cælo, Diana in terra, Hecate in inferno.* r. *Error Græcorum negantium processionem Spiritus S. à Patre & Filio cum Priscilianistis, Phocio authore. Baronius. A. 867. & 883. contra Concil: Tolet.* s. *S. Gregorius Nazianzenus.* t. *Psalmo 10.*

cui

a. cui ducto in sacram hanc solitudinem loquitur ad cor,
Trinus & vnus DEVS.
Sic alia ad extra,
Hoc ad intra,
a. toti commune opus est Trinitati.
Inanis nil impijs conferat cyfra,
b. dum ambulant in circuitu!
c. sit insuper tantus cælitum numerus,
quantus hominum,
hoc vno sine DEO,
Atheus erit homo.
Iosaphat omnia in Divina possidet vnitate;
sine Deorum aut creaturarum multitudine,
Qui legit intelligat:
Nil sunt omnia præsentia,
vbi vnius DEI est absentia.
Et animum & cor cætera distendunt,
solus implet DEVS.
Dives in omnes qui invocant illum,
mundano affer,
beatissimum opponit satis.

---

a. Ducam eum in solitudinem & loquar ad cor eius. Oseæ 2. *a. opera ad extra toti communia sunt Trinitati, aiunt Theologi* b. *Psalmo* 11. c. *Bruxillus Philosophus moriens ad senatum Romanum inquit, quemadmodum* 2800. *hominũ: ita totidem millia relinquere se Deorũ, In Horologio Principũ lib.* 1. *cap.* 6. c. *Dives in õnes qui inuocãt illum. ad Rom,* 10.

SVB

SVB CANALI TEMPLI NVDIPES LAPIDI INSISTENS VIGILES AGIT NOCTES



Exiguos alto veluti mons vertice colles.
  Deſpicit, & patriam mole relinquit humũ.
Ioſaphat in celſi ſummo ſic culmine ſaxi,
  Altior ipſe pigro cerneris eſſe ſolo.
I felix, toti cum terra te eripe mundo:
  Iam debebis humo nil, niſi ſis quod homo.

ELO-

ELOGIUM VIII.

d. Iustitia tua ô Iosaphat sicut montes DEI;
vere ἅγιος vt sis,
terram, terra relinquis,
Non est è terris mollis ad astra via,
quàm cùm ingrederis,

Pedem figis in petra.

Sisiphos agant mundi sectatores,
in vanum lapidem dum moveat omnem:
quid non efficis dum premis vnum?
rerum mutas naturas,
motum reperis in situ.
Nam tam auidus cæli quàm pertæsus soli,
hoc vno ab illo distare incipis lapide.
A molli desuper elemento
dura pateris.
e. Cætera magnæ Matris ossa retrò iacta
monstrarint non unum mundo hominem,
at hoc ijsdem ex ossibus os,
te nobis ostendit Angelum.

---

d. Iustitia tua sicut montes Dei. Psalmo 35. c. ἅγιος sine terra, & sanctus ex Græco. e. Deucalion post diluuium Græciæ, vt genus humanum repararet, oraculo Themidis iussus est magnæ matris ossa post tergū iacere lapides nimirum, qui fierent homines.

cum

cum cælo fixus mente,
terræ ipso te eripis corpore.
Inter pluvij cæli eluvionem naufragus,
hoc in scopulo tutus es:
ipsumq; cum calcas scopulum, contemnis periculum.
f. Inhospitalibus orbis indignatus diversorijs,
pulverem cum calceamentis excutis de pedibus,
Nobilem fugitivum ne ex vestigijs deprehendat mundus,
durum pergis per lapidem.
Mollibus assueto, asperum sursum iter obijcis.
g. Huc non septem vt olim supra Zachariæ,
Sed omnes supra hunc lapidem stellantis cæli oculi.
ô Vigiles de nocte siderum acies,
quæ cæli militiam exercetis vigilando!
Nostri sidus Poli, vester commilito sua pernox in statione,
pro stipendio expectat,
h. quem dabit Deus dilectis suis somnum.
Dignus vt quiescat in semper vigilantium consortio,
i. qui vigilavit in medio dormientium cæmeterio.

---

f. Exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus Matth. 10. g. super lapidem vnum septem oculi, Zachariæ 3. h. Psal: 126. i. Cœmeterium ex Græco dormitorium.

F. EMI-

FEMINAM LABEFACTANDÆ PVDICITIÆ CAVSA INTRANTEM, ICTV BACVLI PELLIT.



Iosaphat illimis columenq́; decusq́; iuventæ,
Immundæ vincis Cypria tela Deæ.
Lilia virginei servas intacta pudoris,
Angelicas solo fuste tueris opes.
Nam satis est pulchris vilis custodia rebus,
Seps vernas servat lilia delicias.

ELOGIUM IX.

Astrorum è medio tollite Venerem Astronomi,
cælum nomine, terras occupauit scelere:
ipsa sat nocens,
quasi sua incrementa nostris quærit in ruinis,
Alienam prædatur innocentiam:
vt ex nocente fiat nocentissima.
specioso quondam malo specie abusa,
k. etiam canas in Babilone inflammavit nives.
Ne parum aut in parte illam nocere putes,
inhiat integritati.
Eius cerussam titione deformavit Aquinas;
sanguine inverecundam depinxit Benedictus:
fuste petit Iosaphat eandem.
l. Armaturam certe induit DEI,
m. qui orbem domuit, non ferro, sed ligno.
Notam sibi ex suis fraudibus intus,
qualis sit in cute, liuore ictuum depingit.
n. Fundâ Dauid carneam fudit molem, o.
& in sublimis gloriæ fundamentum,
primum lapidem iecit in fronte:

---

k. De senibus populi, Zuzannæ infestis: Danielis 13. l. Induite vos armaturam Dei. Ephes 6. m. Augustinus in Psalmum 54. n. 1. Reg. 17. o. S. Chrysostómus Goliat appellat carneam turrim.

triumpha-

triũphatâ incõtinentiâ immensũ gloriæ erecturus colossũ Iosaphat,
Hanc ligneam marmore firmiorem figit basim.
p. Nata præ limine quondam palma,
omen victoriæ dedit Octavio Augusto.
Exsuccum in manu Iosaphat lignum,
nouâ partam victoria reuiruit in palmam,
Funeream nisi malis dicere cupressum,
profligatæ Cypriæ Deæ erectam in tumulo.
q. Pondere annorum labilis sint nonnulli baculi senectutis;
lubricæ hic baculus iuventutis,
quàm feliciter infelicem prohibuit lapsum?
huic debet Iosaphat,
quod steterit illibatus.
r. Iam non à Delphico oraculo discimus,
ligneis muris vitam tueri,
sed Iosaphat exemplo novimus,
ligneis bene integritatem defendi telis,
Mollia quippe blandi mali tela,
nil contra duros possunt ictus.
Victoria hæc non minus quàm cæteræ,
viris paratur, & armis.

---

p. Suetonius de vita Augusti. q. Tobiæ. 5. r. Athenienses post pugnam Maratoniam, adventante Xerxe Delphici oraculi responsum acceperunt, salutem ligneis muris tuerentur. Themistocles navium præsidium interpretatus est. Iustinus. Lib: 2. num. 33.

Lapis cui insistebat, morbos curat.



Animio veluti morientia lilia ſole,
Mobilis ex alto cúm premit vnda leuat:
Sic ſurgunt ſumpto languentia corpora ſaxo,
Ioſaphat antè ſacri quod tetigêre pedes,
Erigit ergo lapis ſi ſurſum, credo deorſum,
Ioſaphat ad nutum pluma vel ipſa premet.

ELOGIUM X.

ô nulla longi temporis felicitas!
fugacem mundi bonorum naturam imitata,
s. & ſanitas in pennis viſa eſt.
Hæc Ioſaphat beneficio grandi ſiſtitur in lapide;
Adeo virtuti ſterilis nullus eſt locus,
quando ferax prodigiorum vel exſucca apparuit petra.
Medica potuerit multum hucuſque manus;
plus poſſe pedem Ioſaphat,
t. docet hic lapis adiutorij.
Faceſſite iam mortis anteambulones morbi:
paribus vobiſcum pugnatur armis,
pulveribus in quos redigitis homines;
lapidis obijciuntur pulveres;
quibus ſumptis,
ſurgentibus tot clinicis,
ipſum iure dicas ſurſum gravitare ſaxum.
u. Cæſareo Caligulæ interdicto damnata,
ſchedarum levia amuleta ventorum cedant in ludibrium:
Vbi graui in ſaxo fundata morborum ſunt antidota.

---

s. Sanitas in pennis eius Mal. 4. t. de Lapide adiutorij 1. Reg. 4. 5. 7. u. Caligula, Germanici Filius, capitis damnavit eos, qui ſchedas Romæ venderent, curandis tertianis & quartanis febribus. Spartianus in Caracalla.

Canant


Canant Pöetæ;
a. Ad chelym & duras animantem Amphiona cautes;
Pöeticis nulla fides fidibus.
Ignobile terræ pondus olim hoc ſaxum,
altiùs hominibus aſcendit,
cùm medica eius vis, Super ingenia & capita ſit humana,
b. Cedite iam odoriferæ Arabum mumiæ, petræ,
cuius à Ioſaphat hauſtus odor,
c. eſt multis in vitam.
Populares pratorum Pharmacopolæ,
exterminatore florum ſarculo terram vulnerant,
vt ſanent homines:
Tanto florum excidio,
morbis parant exitium;
at lapis hic ſui communione vt proſit,
nil accipit de alieno,
totum tribuit de ſuo.
ſed heu metuendum,
nè tam grande bonum ipſa ceſſet in participatione,
beneficentiæ quippe natura eſt, ſibi deficere
vt alijs ſufficias.

---

a. Amphionem dicunt Pöetæ, ſequentibus cantum Lyræ ſcopulis, Thebarum muros condidiſſe. Statius Thebaidos. 8. b. Ex corporibus, ſine balſamo, ſiue alijs diverſarum herbarum vngventis conditis, & à tribus annorum milibus integris, mumia petitur. In Peregrinatione Radiviliana, menſe Septemb. pag. 188. c. Alijs autem odor vitæ in vitam. 2. Corinth. 2.

RELI-

RELIGIOSAM DIVI BASILII INDVIT VESTEM.



Clarior obſcuro reſplendet Cynthia cælo,
Squalida cùm nigræ tempora noctis eunt.
Ioſaphat o quanto fulgebit lumine, tectus
Obſcuro fuſcæ papilione togæ.
Subnigra ſplendorẽ prodent nam nubila, fiet
Clarior vnde minus, clarior inde magis.

ELOGIUM XI.

Rarus dominata fulget in orbe luce.
Sereniſſimi,
Cæli decus, cælo rapiunt ſerenitatem,
Illuſtriſſimi,
luſtra peroſo mutuant à ſole claritatem.
ſunt qui lumen habent à tenebris,
dum non lucent niſi vt noctilucæ.
Alij lumen accendunt in aquis.
clari, precario gemmarum á ſplendore.
d Quanto felicius, Lux mundi,
Ioſaphat ſuo illapsu domum fecit lucis;
quâ uſque ad perfectum creſcente diem,
ſic fulgebit:
e. Vt Africanum Europæ reddat Fulgentium.
Triumphatrix freqvens tenebrarum lux,
& in hoc pullæ veſtis vincet duello.
Exaſperante ſe oppoſito,
quas non exeret vires?

---

d. Ego ſum Lux mundi. Ioan 8. e. S. Fulgentius Sanctitatis glo. ria celebris, Ruſpenſis Epiſcopus in Africa natus. Emmanuel Theſaurus in infulatis virtutibus.

Imo

Imo in liberum naturam transeunte Iosaphat,
hæc togæ Religiosæ nubecula, spectantibus,
f. erit quasi vestigium quoddam hominis.
Augustius semper ad aspectum fuit lumen ex obscuro;
Diuinitatis est, suâ se involvere magnitudine:
Maximis Religionibus lucos prætexuit Antiquitas,
quasi maiorem venerationem habituris ex abdito,
In cassum Africam, Numantiam, Coriolum,
g. Africani, Numantini, Coriolani,
suo induunt nomini.
Audi, quisquis es redivivus ex Vrbium busto Phænix,
Ex quibus res constituuntur, in eadem & resoluuntur;
Ex Africæ & Numantiæ cineribus nata,
in cineres redit gloria,
Africanis, Numantinis suo dudum sepultis in cinere.
Bonum nomen alienis non debet malis,
Magnus à Magno Basilio Iosaphat Basilianus;
Magnitudinem famæ alienæ, augebit in sua;
Alieno sub titulo, propriâ virtute,
grande perennis famæ occupabit Nomen.

---

f Nubecula quasi vestigium hominis. 3 Regum 18. g. A victa Africa Africanus Scipio, alter à Numantia vrbe Hispaniæ deleta, Numantinus dictus. Coriolanus à Coriolis oppido capto: omnes Romani. Livius. Florus.

E ASPE

ASPERITATI CORPORIS VACANDO, ÆRVMNIS ASSVESCIT.



Quám grandis duro prodit de cortice fructus
Cui natale dedit China remota solum.
Cõmoda quãta capit, proprios cum Iosaphat artus,
Assumptâ toties asperitate domat.
Ardua semper amat virtus cunabula, stricto
Et rosa spinarum nascitur in gremio.

Est in China arbor Sinis Polonie dicta, quæ in trunco producit fructum tuberosum, tantæ vastitatis, vt singulis portandis singuli homines sint necessarij: Cortex eius spinosus est. Pater Athanasius Kircherus in China illustrata num. 185.

ELO-

ELOGIUM XII.

Vt fortunæ ita virtutis partus paralelli sunt,
à prætexta ad togam,
à parvis vtrique ascendunt ad magna.
h. Augustus Octavius, priùs puer imperavit ranis;
quàm Cæsar Romanis.
i. Cyrus, ab armentis ascendit ad armamentaria?
Hercules, ante Lernæos conflictus,
Anguem elisit in cunis.
k. Theodosius, priusquàm arma tractaret vir,
reptauit per scuta puer.
Non fert vllum ictum illæsa felicitas,
assidua cum incommodis rixa,
callum per iniurias inducit.
Stabit in acie vir,
l. qui Lacedæmonias stetit ad aras puer.
Hinc Iosaphat
malis spontè assuescit minoribus,
antequam par olim sit maioribus.
Cos virtutis adversa, si desint,

---

b Octavius cúm primúm fari cæpisset, ranas silere iussit, & conticuerũt, Suetonius in Octauio. i. A pastoribus primúm per ludum Rex pastorũ electus, deinde Rex Persarum fuit. Iustinus lib. 1. pag 6. k. Reptasti per scuta puer. Claud de Theodosio. l. Lacedæmones ad experimentum tolerantiæ: paruulos suos aris admotos cædebant.

innocuas in se vt nocentem armat manus.
vt in virum crescat perfectum,
adultæ virtutis vbera,
sponte infligenda properat ad vulnera.
m. Trichinatum & loricatorum æmulus,
post tot toleratas in corpore puncturas
quidni audiat omne tulisse punctum?
Grave quondã memoriæ pondus manibus cõmunicarunt Hebræi.
n. vno totam Hierosolymam gestante digito.
Cælum in ipsa corporis sui cælatura tulit Iosaphat,
ferendus à cælo,
beneficentiam futuram pari prævenit obsequio.
Nil agere se arbitratus boni,
nisi aliquid semper pateretur mali.
Ita nimirum, illis quos patiendi pro cælo exercet amor,
Omnis voluptas in pænam,
Omnis pæna abijt in voluptatem.

---

m. Dominicus Loricatus á lorica nudo corpore gestatâ, alter Trichinas ab aspero cilicio iugiter gestato dictus. ΤΡΙΞ enim Græcè pilum significat. n. Iudæi in annulis sculptam Hierosolymam vrbem ferebant. P. Hierem: Drexell. De Dominico Loricato 14. Octobr. De Theodoro Trichinate 20. April. Martyrologium Romanum.

IN

IN VIIS ET PLATEIS PUEROS ET RUDES SALUTARI IMBUIT CATECHESI.



Error in interitum ducat nē forté viarùm,
Iosaphat eximiâ dexteritate facit.
Doctrinæ ſaluat non vnum Thesea filo,
Æternæ monſtrat quando, ſalutis iter.
Omnia nunc hominum tenui pendentia filo
Scimus: ab hoc cùm iam pēdet & ipſa ſalus.

ELO-

o. ſermo Domini erat precioſus in diebus illis,
quando Chryſoſtomâ Ioſaphat linguâ,
mores populi ferreos,
Vertebat in aureos.
p. Tacete Mythologi opificem auri Midæ virgam!
Dives artifex,
omnia convertit in cenſum.
nil ſervavit in cibum.
Ioſaphat,
q. Virga oris ſui cùm format aurum,
in verbo in quo vivit omnis homo, offert cibum.
Iter ingreſſi nè errent,
Dux occurrit in vijs.
Per coactos ad Chriſtum pueros,
aggreditur adultos:
Vt conſtet
r. onus Chriſti leve quod ferunt & pueri,

---

o. 1 Regum 3. p. Midam Gordij Filium Phrygiæ Regem Bacchi beneficio obtinuiſſe, vt quidquid tangeret aurum fieret, dicunt Poëtæ, proinde potus, cibus ipſe, vertebatur in aurum, donec in Pactolo fluvio lavaretur. q. Iſaiæ 11. percutiet terram virgâ oris ſui. r. onus meũ leve Math, 11.

Hos,

Hos, qui dum terrena ambiunt,
versantur in ambitu,
Veræ Cynosura salutis, ad centrum ducit veritatis.
Clama iam, perora, diserte Tulli munde;
s. non Vacuorum vasorum pulsu obstrepit Antonius,
t. non velut cymbalum tinniens,
Sed de plenitudine Charitatis erumpente voce,
ne audiare, impedit Iosaphat.
u. Divinæ Gorgon Palladis,
ne humana sentiant homines,
obdurat in lapides.
Novo iterum prodigio,
a. Sacræ lumine orationis hæc cùm collustrat Menonis simulachra.
ad virtutis animat concentum.
ô quanta gaudia Angelis,
propinat in pænitentium lachrimis?
dum per veram contritionem,
ad vitæ venitur integritatem.
Hæc tam mira vnde, quæris?
ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ
Iosaphat,
Ipse dixit & facta sunt.

---

s. Perorans Cicero ne audiretur à populo Romano, tympanorum pulsu impedisse Antoniũ narrăt Historiæ Romanæ. t. Factus sum sicut æs sonans: aut cymbalum tinniens 1. Corinth. 13. u. Pallas Medusæ vni Gorgonũ irata, ob profanatum templum suum per scelus: capillos eius mutavit in angues, & vt omnis qui eam intueretur mutaretur in lapidem fecit. a Ad Memnonis statuam Titoni & auroræ filij ab Achille occisi Sole oriente concentum musicum auditum ferunt Prisci Scriptores.

THEOLO

THEOLOGIÆ STUDIO DAT OPERAM
PROFESSORE, P. FABRICIO GROZA SOCIETATIS IESV.



Quidquid ab artifici dextrâ cõſurgit in altum,
Reclinem prono vertice lambet humum.
Ioſaphat eximio Diuina docente Magiſtro,
Tendit ad excelſum, turris ut alta Polum.
Ergo manũ hæc merito Fabricî fabrica mõſt-
Supremã: cuius ſidera tangit opus. rat

ELO-

ELOGIUM XIV.

Fabrum quèmque suæ fortunæ credo:
doctrinæ neminem iudico.
b. DEI ædificatio Salomon,
vt quantùm coronato capite,
tantùm ipso emineret ingenio;
DEVS fecit.
Æquitate famæ perennis de temporum non triumpharet iniurijs,
Pecile, suo sine Zenone,
c. Lycæum, sine Aristotele,
Academia, sine Platone.
Hinc,
in cassum posthac Pharisæo dices ore Schisma,
d. quomodo hic scit literas?
quo fabricante apicem scientiæ ad cælos extulit;
intelligis.
Voce comitante ingenium,
Nil nisi Deum ac Divina posthac loquetur
Theologus.

e. Ingenti fabricæ fata turris Babel non ominare:
author imperfecti operis,

---

b. Dei ædificatio estis. 1. Corinth. 5. c. Loca horum Philosophorum lectionibus illustria. d. Ioannis 7. e. De confusis in structura turris Babel imperfectæ, linguis, Genesis 11.

F linquã-


linguarum hic abest confusio;
Vbi omnis loquela Catholica est.
Imó vni quod semel locutus est DEVS,
f. attenditur Verbo.
g. Fluctuantem in Rhodo supra maris tergum colossum:
liquida inuoluat rüina,
Operis huius stabile fundamentum est fides.
Idem certe, quod & omnium operum Dei,
h. cuius omnia opera in fide.
i. Incendiarij procul hinc Herostrati;
Propudiosi Numinis Ephesi occasum,
illustrate in flamma.
Ignibus immundis infamem, igne expiante Deam.
Moles hæc intemerata expiatorium respuit ignem.
h. Imo scala Angelica,
quia Angelici hominis Iosaphat est.
Hâc ille à Creatore, ad creaturas descendit,
á creaturis, ascendit ad Creatorem:
l. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi,
per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.

---

f. semel locutus est Deus Psalmo 17 g. Rhodus in mari Carpathio Insula, colossum habebat 70. cubitos altum. Vitruvius lib. 7. h. Psalm. 32. i. Herostratus propter famam nomini suo conciliandã, Templum Ephesinæ Dianæ incendit. Strabo lib. 14. k. De scala Iacob & Angelis ascendentibus & descendentibus Genes. 28. L. Ad Romanos cap. 1.

Pro

PRO UNO ECCLESIÆ CAPITE CONTRA, GRÆCORUM SCHISMA ACERRIME AGIT.



Vnū habet vna caput nō plus Ecclesia: Phæ-
Vnus vt astrigeri fulget in arce Poli. bus
Quid dicam de te duplici cui creditur vnus.
Orbis Christiadum vivere sub capite?
Ebrius es Photi, nequeo plus dicere, corpus
Vnum, qui geminum cernis habere caput.

ELOGIUM XV.

m. Omnibus te diris deuoveo Photi,
Monstrum, quâ genitus es, Matrem, Ecclesiam facis,
cùm alterum affingis caput .
Quid monstrosius, quàm vnum biceps imperium?
Vno cœlum terras intuetur oculo:
Vna in corpore humano mens subditos regit sensus;
Terra firmitatem suam vni Principi centro debet.
signum bello bifrons Iane sustulisti,
n. Pharsalicum pæana occinens,
miles faciem feri.
Tu verò,
o. Confortare & esto robustus vir Iosaphat.
rem geris pro capite.
p. Græcorum agminum ab oriente Lunas,
notum olim ad locum, ad Romanos coge pedes.
Felix bellator.

---

m. Schisma orientalium, aliud sibi caput præter Romanum Pontificem Constantinopoli statuentium innuitur. Vide Baronium multis locis. n. Pharsalus Civitas Tessaliæ, in cuius campis Cæsar contra Pompeium dimicans, hanc ad suos vocem protulisse fertur. Miles faciem feri. o. Deutor. 31: p. Lunæ in calceis Patricios Romanos à vulgo secernebãt: Massenius in Palæstra styli lib. 4. cap. 38.

gladio

gladio oris tui quos feris,
non dividis sed facis vnum.
Victoriam alij metiuntur numero,
cum victos recensent hostes per capita:
Tu in vno,
seu in altero quod præter Romanum fingitur, capite,
q. æternæ gloriæ Romano maius erige Capitolium.
Numeri damnum, magnitudo penset,
Grande Schismaticis caput est,
quo tot acephalorum vivunt millia.
Procul ferrea Caligulæ in auro vota,
r, vnam toti populo optantis ceruicem;
Vt vnum cunctis venientibus sub ictum,
Vnius fato,
Occumberent omnes.
Tu cùm vnum omnibus voves caput,
tua vota sunt pro populi vita,
Lernæi monstri est, pluribus vivere capitibus:
In hominibus, plura capita,
cùm membrorum tollant Symmetriam,
tollunt & vitam.

---

q. Capitolium Arx Romana in monte Saturnio à Tarquinio superbo extructa, dicta à capite hominis ibi in fundamentis reperto. Plinius lib. 3. cap. 5. r. Caligula Romanorum Imperator, monile aureum ferebat, cui insculpta erat hæc sententia, vtinam omnis populus vnam haberet cervicem, vt vno ictu omnes necarem. Suetonius cap. 30.

EGRA-

ERGASTULA REORUM ADIT, EORUMQUE SE IMPENDIT SALUTI.



Improba vinctorum dissoluit vincla reorum
    Iosaphat, & tutam mōstrat ad astra viam.
Si insons es iudex, insontes i cape sontes.
    Namq; nequit cæli porta patere reis.
Aut semel arrepto potiùs sine pergere calle,
    Cúm lex nulla reis claudat ad astra viam.

ELO-

ELOGIUM XVI.

O quàm arcta gemunt sub custodia,
quibus omnia clausa sunt præter inferos;
Nunquam non pauidi,
quia nunquam non rei.
Vt innocentia se ipsam sine custode tuetur,
ita crimen nullo arcium munimento securum est.
s. Colligationes impietatis vt solvat Iosaphat,
Servitio se obligat captivorum.
suæ oppositione innocentiæ,
noxas illustrat nocentium;
fateri docet, vt tollat nefas.
Nam quod tacite serpit, necat virus:
intra medelam dum patent mala sunt.
clam commissa damnat culpa sontes;
palam deplorata absoluit insontes.
t. Carcerem se ingressum asseruit olim Socrates,
vt loco demeret ignominiam:
suæ artifex gloriæ
non alienæ author felicitatis.

---

s. Dissolue colligationes impietatis Isaiæ 58. t. Laertius in vitis Philosophorum.

Sui communione Iosaphat, quos inuenit miseros,
reddit Beatos.
Conscientiâ scelerum obsessos,
in libertatem Filiorum Vendicat;
u. Vt pro negato pileo, servi,
coronam accipiant liberi,
a. Ite iam severi reorum Catones,
quibus clausis negatis ad homines exitum,
his Iosaphat solutis, ad cœlites aperit aditum.
Ad terrorem leti immobiles,
b. ceu saxeam figit Nioben,
Vt mala inferenda, sentiant vt homines,
ferant vt saxum,
Nec vitam petant auidi,
nec mortem expectent trepidi.
Nil timet, qui grandia sperat.
Contemptorem animum vitæ præsentis, parit,
spes non dubia futuræ.
O felices reos qui nil debent Deo,
quos cœlum absoluit,
nec ipse damnare potest Areopagus.

---

u. Pileus signum libertatis apud Romanos. a. Catonis rigor in iudicãdo, memoratur sæpe apud authores. b. Filia Tantali ob confixas sagittis per Apollinem filias, præ nimio dolore mutata dicitur in lapidem. Ovid. 6. Metamor. c. Areopagus erat Athenis, vbi primum iudicium capitis actũ fuisse scribit Plinius L. 7. cap. 56. hinc Areopagitæ Iudices severissimi.

INSIGNI SVI VICTORIA IN NOSO-
COMIO PVRVLENTA LAMBIT VVLNERA.



Vt parui grano piperis conditur amaro,
Inſipidum tellus quidquid, & vnda parit.
Omnia ſic hauſto pellit faſtidia pure
Ioſaphat, ægrorum clinicus atq; Pater.
Errat non ſapidis miſcet qui dulcia rebus,
Nam ſapor inſipidis manat ab inſipidis.

d Tacete Pòëtæ, fabulares Circei poculi metamorphoses;
ipsis hominibus eripitis homines,
cùm convertitis inferas.
Quanto nobilior Iosaphat gustato pure metamorphosis,
in virum ille mutatur alterum.
Iam contra cognatum naturæ horrorem,
purulenta spectabit vulnera cum gustu,
non animi modò, sed & palati.
Quidni beatum hoc dixeris philtrum,
quod necessitatem amandi ærumnas imponit.
sciet optimè alienis compati ægritudinibus,
qui earum acerbitatem gustando percepit.
e Quod si Ierichontine viator in hunc incidisses Sacerdotem,
samaritanum non expectasses.
semivivo, sublatam halitu oris uitæ partem restituisset.
Misero, non opem tantùm, aut manum auxiliatricem,
sed & linguam admovisset.
Mitiùs tua lambendo tractasset vulnera,
quàm Samaritanus alligando.

---

d Circe solis filia, veneficijs dedita, fingitur socios Vlyssis mutasse in porcos, Virg: e. De homine descendente á Ierusalem in Iericho, á latronibus semivivo relicto, cuius vulnera Samaritanus alligavit, & imposuit in jumentum suum, Luca .10.

Pedum

Pedum vſu deſtituto,
humeros pro jumento ſubieciſſet,
f. vt iumentum factus apud te.
Alienis curandum non dediſset,
qui nec ſuis credidit manibus:
quas in ſe ſeveriores expertus,
ne vlcera exaſperarent incautè,
manuum officium, labijs nunquam non lenibus aggreſsus eſt.
Flores locuturos, floribus veſci ſolitos Oratores Romanos,
dixerit Homerus:
quaſi verborum fucos à floribus mutuaret eloquentia,
& compti ſermonis gratiam,
g. Flori floribus, hortis deberent Hortenſij.
At hic à Pòëtica Homeri fide Romanis venit applauſus:
citra fabulam ſacratiora noſtro Ioſaphat occinunt cantica,
h. Labia eius lilia diſtillantia,
odorem nimirùm optimæ ædificationis.
vt iam,
i. meritò delicatæ Theodoræ ſuos erubeſcant faſtidire Calibitas,
& ipſe epulo piaculum putet,
k. Si à Lazari ulceribus lingentes non arceat canes.
l. O ſi olim, aut nunc, terra unius cum Ioſaphat labij fuiſset,
pauciores aut nullos numeraremus ulceroſos.

---

f. Vt iumentum factus ſum apud te Pſalm: 72. g. Florus hiſtoricus, Hortenſius Rhetor Romanus. h. cant. 5. i. Theodora Mater Ioannis Calibitæ, ignotum ad ſuas ædes & pauperem Ioannem faſtidiebat, nolens intueri miſerum. k. De mendico Lazaro & divite ad cuius ianuam, canes, Lazari lingebant ulcera. Lucæ 15. l. Erat autem terra labij unius. Gen. 11.

GRAVI AVSTERITATE IEIVNIORVM IDENTIDEM SE AFFLIGIT.



Plena repentinos formidant robora ventos,
 Sed vacua Eure tuas ridet arundo minas.
Ioſaphat infeſtas exhauſto corpore pugnas,
 Invicto Victor pectore ſemper adit.
Heu noſtro miſeri ſuperamur robore, fortes
 Cenſemur carnis viribus abſque, viri.

ELO-

ELOGIUM XVIII.

m. Fuerint Macedoni obsoniorum artifices,
ad prandium, iter nocturnum;
ad cœnam, tenue prandium.
Importuna gulæ irritamenta sunt,
diu sumere nil, vt tandem sumas omnia.
Quantò meliùs Iosaphat,
n. Panem in Regno Dei manducandum, iugi condit fame.
Beatæ perennitatis candidatus,
in Societatem vitæ suæ,
Vitæ mortem non admittit alienæ:
o. dum mortibus non viuit,
p. nec funebre sarcophagi circumfert nomen.
catera liberalis,
cibi solius parcus;
Vt sibi nil ignoscat,
parcit cibo:
Vixque est inter homines homo.
quis enim ΑΝΘΡΟΠΩΣ
q. qui viuit penè ΑΤΡΟΦΩΣ.

---

m. Adas Reginæ Carum, obsonia mittenti, respondit Macedo, meliores se habere obsonatores, prandij, iter nocturnum, cænæ, tenue prandium. Raderus in Apophteg. Alexandri n. Lucæ 14. o. mortibus viuimus. Seneca. p. sarcophagus ex Græco carnem comedentem significat. Anthropos *homo.* Atrophos, *sine cibo. q.*

cor-

Corporis ſolicitudine,
ad animum tranſlatâ,
Virtutis cibum,
ambit jeiunium.
Tot abſumptas adverſitates, tot exhauſtos ſudores,
in generoſæ indolis ſuæ ceſſiſse gaudet alimentum.
r. Luctatoriam oleo ſemper inſtructus ad arenam.
Potum fortium, petit frigidam.
Romanæ quippe linguæ oraculum eſt:
s. qui vincunt, aquam bibunt.
In caſum ab aquario Tyberi petito vocabulo,
Sobrietatem finxit in nomine,
Tyberius Nero.
t. Biberius mero viſus populo Romano.
Latentem è latice parſimoniam
ad ſe derivavit Ioſaphat.
Loci religioſi ordinario, bene precante ieiunio,
ſiccum illi copulavit panem,
pane ſatur & aquâ.
Suſpice Philoſophe, nobilem vitæ humanæ demonſtrationem,
dum eam ad ſua principia reducit Ioſaphat.
Nam
u. Initium Vitæ hominis aqua & panis.

---

r. Athletæ oleo inungebant corpora, ne apprehenſa teneri poſſent. s. Peſcenius Romanus dicentibus militibus vinum non accepimus, pugnare non poſſumus, reſpondit, erubeſcite, qui vincunt, aquam bibunt. Spartanus. t. In Cæſarum elogijs. de Tyberio Nerone, Emmanuel Theſaurus. u. Eccles. 39.

DVM

DVM HVMILITATIS STVDIO INFIMA PETIT AD MAGISTRATVM RELIGIOSVM ZVROVICIIS ET VILNÆ ELEVATVR.



Fructifer excelſæ conſurgit in æthera vertex,
  Arboris,& virides ſpargit vtrinque comas.
Aſt humiles inter primúm ſerpebat arenas,
  Radicem patuli merſit in ima ſoli.
Ima iuvant ſurſum, protrudunt alta deorſum,
  Altior ut pateas delituiſſe iuvat.

ELOGIUM XIX.

Si omnia vanitas, & magnum in rebus inane,
a. motum tentas in vacuo,
quisquis in altum tendis.
cuiuscûnque virtutis (an vitij?) impulsu te extuleris
rues.
b. Vide Belisarios, Seianos. c.
grandia proiectorum nomina,
hi celerius adversæ fortunæ impetu cecidêre deorsum,
quam prosperæ conatu ascendêre sursum.
Quot quantique,
temerariam contra Philosophorum placita audaciam,
expiant suspendio?
dum in vacuo rerum humanarum vacui.
pendent,
spem inter & metum,
d. Magnis quippe priuari omnium est,
potiri paucorum.
Ambitiosæ appetentiæ parsimoniam indixit Iosaphat;
Recte factorum gloriâ maior maximis,
animi moderatione minor minimis,
e. infra quatuor terræ descendit minima,

---

a: negant in vacuo motum dari Philosophi. b. Belisarius, bellator gloriosissimus per invidorum delationem, á Iustiniano Cæsare omnibus spoliatus, oculis erutis stipem mendicabat. Baronius 561. c. Seianus in summis honoribus apud Tyberium, curru aureo ut Cæsar vehebatur: sed non multo pòst, iussu Tyberij capite plexus, in Tyberim proiectus est. Baronius A. 33. d. Nazianzenus in Horol. princip: lib: 2. num 77. e. quatuor terræ sunt minima. Proverb. 30.

quando

quando totum id quod erat, humilitati sacrificavit,

f. cinereo non sine memento,

utinam inter multos,

non reperias aliquos,

g. qui dormientem in sinu ambitionem,

repetito ad templum honoris pulsu, excitant:

h. Aut ad principatum, non caprarum grege,

i. Sed unius Amaltheæ præeunte ducuntur à cornu:

Rectefactorum inopiam, auri supplente copiâ.

Nobilis sequacis gloriæ fugitivus Iosaphat,

ad honores cùm duci non posset;

tractus est.

k. planè quasi nubem ascensum suum posuisset:

dum latere satagit, in tenebris obscurior:

in lucem emersit clarior.

Proprio é sensu nil nisi pulvis & cinis,

hoc è cinere novus gloriæ surrexit Phænix.

l. Quis enim est qui ascendit:

nisi qui descendit.

Spreta nimirum in semente gloria, uberior redit in culmo.

---

f. Homo in cinerem revertetur. Iob 20. g. Ambitio in sinu Sacerdotum dormit S. Cyprianus. h. Cranaus cùm responsum oraculi accepisset, ducibus capris imperium quæreret, urbem Edissam in Macedonia non sentientibus incolis propter imbres & nebulam, capras secutus, occupavit Regniq; sedem statuit. Iustinus lib. 7. i. Amalthea capra, Iovis nutrix, cornu suo omnem rerum abundantiam continuisse dicitur à Pöetis. k. Ponis nubem ascensum tuum. Psal. 10. l. Nemo ascendit in Cælũ, nisi qui descendit de Cælo. Ioan. 3.

DIVINO AD ARAS EPVLO IN DIES SE REFICIT.



Non vivit pabulo volucrum Regina palustri,
Sed tua sublimis Cedre medulla sapit.
Omnia sic inter lautæ conuivia mensæ,
Nil nostro dignum Iosaphat Orbis habet.
Infra se terras an non conviva relinquit?
Altior est terris, cûi Deus ipse cibus.

ELO-

ELOGIUM XX.

Lignea quàm malè ſine lacte nos nutrijt nutrix!
Hem malorum Iliade orbi in unico evolvente ſe malo,
quanto mortales per eſcam privati ingemiſcimus bono.
m. Lentum guſtavi,
Velox excepit morior,
Infelices poſteri,
nunc ſi quando ex ſapientis placito,
ex eodem ubere vitam ſugimus & mortem,
Vitæ idem quod & mortis ſortiti principium:
Vnum hominem,
n. per quem mors intravit in mundum:
ſed quanta Euchariſtico in orbe,
ad orbem devoluitur felicitas.
Prodigus uſque ad ſui jacturam in noſtra commoda,
fit cibus, vita, DEVS.
Quid ni ergo tibi ô felix conviva Ioſaphat,
feſtivum vivat mundus acclamet,
cùm toties hac immortalitatis alimoniâ,
initiaris ad immortalitatem.

---

m. 1. Regum 14. Guſtans guſtavi in ſumitate uirgæ & ecce morior.
n. Per unum hominem intravit peccatum in mundum & per peccatum mors. Rom. 5. Ex eodem ubere &c. Epicteti eſt ſententia.

Iam diu mundo mortuus?
Pane Cæli,
cui vivis, eodem nutriris à Cælo:
o. Profanus quondam amor, liquatâ Regnū propinarit in gemma:
Ad te Divinæ artificio Charitatis,
quid hoc non venit in ferculo?
summus Sacrorum Antistes,
Ab hac latentis Dei cortina accipis oracula.
Regalis Sacerdotij munere Rex cùm sis,
p. mamillâ Regum lactaris:
Nimirum ipsa Divinitate totâ lactea in libo cælesti.
Bella Domini pro orbis capite geris:
melior Gedeon,
q. hoc Subcinericij panis exterminatore exercituum gladio,
hostibus ad interitum,
ad publicæ pacis serenitatem, fulminabis.
Leonis de tribu Iuda pastus medullis:
contra efferos tam homines, quàm mores,
r. milita bonam militiam.

---

o. Cleopatra, Antonio propinatâ in potu gemmâ, addidit. Regnum bibisti. p. Isaiæ 60. mamillâ Regum lactaberis. q. Iudicum 7. Subcinericius Panis in castris Madian visus, gladium Gedeonis significavit. r. ad Thimot: 1.

CVL

CULTUI AUGUSTISSIMÆ MATRIS SPECIALITER VACAT.



Cerne MARIANO plenū qui pectus amore
Fervida ſidereis admovet arma tholis.
Non feriūt, ſed vota ferūt hæc ſpicla Mariæ
Eſt optata quibus non niſi meta ſinus.
Omnibus emiſſis telis ubi fiet inerme,
Captivus Divæ Virginis hoc cor erit.

ELO-

ELOGIUM XXI.

s. Vacuum olim visceribus pectus Lauretanam tulit ad aram,
felicissima & si sine extis victima,
idemque Sacerdos.
ô Prodigium!
palpitarunt præcordia calore non suo,
nam ardentissimæ in MARIAM charitatis:
admirante naturâ atque pavente,
ipsâ Vivebat in morte,
sui baiulus & spectator cordis Mystes.
donec in vitæ domo,
limen attigit mortis.
MARIANVS & Iosaphat cor vbi rapuit amor,
Suo vivit sine corde.
Vitæ principium MARIANVM nactus,
nil nisi MARIAM,
Spirat pectore, videt oculis, loquitur linguâ.
Quantus in venerationem cadit,
in laudes assurgit MARIÆ:
Ibi genibus, lábris, fronte, omnibus inferior:
hic dicendi copiâ Demosthene & Tullio superior.

---

s. Sacerdos Augustissimæ virginis cultor, cùm ad deserendam fidem à barbaris induci non posset. extractis Visceribus per apertum pectus, cruciatus est, cui cùm barbari in manus viscera cum corde dedissent, uti promiserat, tulit sua ipse exta usque ad domum Lauretanam, ibiq; ante aram concidit. Pater Carolus de Luca Societ: IESV in oratione de Lauretana domo.

Theotocon

Theotocon dum credit,
primigeniâ immunem à noxa Prædicat.

t. Quodsi albos Deorum filios asseruit Plato,
qvidni nulla fuscam à labe Dei asserat Matrem Iosaphat,
nec convenire, ut ei concipi à Matre
sit mori,
cuius Filio à Patre concipi,
est nasci.
Terrarum mariumque dignam Imperio affirmat,
quam supra omnium septemvirûm Vota,
geminata electione,
elegit & præelegit unus elector DEVS.
Terribilem ut castrorum aciem nuncupat:
cuius Maternus ipse Tonans est ad manus,
toto potens terras expugnare cælo:

u. Ite procul inania Momi vota,
cor patet Iosaphat:
nam totum MARIA possidet;
hoc ad honoris MARIANI aram immolato,
charitatis igne succensa inter medias lacrymarum vndas;
felix Iosaphat ardet hostia.

---

t. Plato de Republica. u. Momus optabat patens ad corda humana ostium.

Alimo-

ALIMONIA PRODIGIOSE OBTENTA EGESTATI FRATRVM SVBVENIT.



Ad fera bella vocant iratum cornua Martem,
 Ferrificoq́; cient arma cruenta ſono.
At cornu pulchrum tribuit cûi copia nomen,
 Ioſaphat in dextra quid canit atq́; facit?
Vt ſua clauſtra fames poſthac inimica relin-
 Hoc illi cornu nuntiat exilium. quat,

ELO-

ELOGIVM. XXII.

Quàm magnum dominantis latè per orbem famis regnum?
Imperijs olim latissimis panis erat arctus.
Vrbs cui horreum Sicilia,
parum habuit quo vescerentur homines,
a. quando ingemuit omne frumentum absumpsisse DEOS.
b. Rerum Domina, solos non semper habuit Frangipanos.
Hem malum?
foris in prædam cùm raperentur humana,
intus in cibum ipsi rapiebantur homines.
Circe plané in Circensibus vociferante,
c. humanæ sit precium carni.
Hoc duce malo,
d. Inermis olim in exitium armatorum ruebat sexus.
Eidem quo iam non patet aditus?
Si vel religiosa violat interdicta.
cùm intrat, femina fames.
At Sancte tot filiorum Pater Iosaphat,

---

a. Augustus Octavius cœnam faciebat, in qua adhibebat sex convivas habitu Deorum, sex habitu Dearum, ipse verò Apollinem referebat; unde Romæ fame invalescente, clamatum est, omne frumentum Deos comedisse. Suetonius de Augusto. b. Frangipani Romanorum Familia, de qua Baronius. c. Obsidente Alarico Romam in Circensibus ludis clamabatur ad Honorium Imperatorem: ut humanæ pretium carni poneret. 8. Petiot de obsidione Rupellæ. d. sub Vitige, Româ á Græcis & Gottis afflictâ fame, duæ mulieres, septemdecim miltes, ad escam iugularunt, á decimo octavo victæ, & proditæ. Baron. A. 539.


qui cælestem & illibatā unius vocabuli compendio exhibes vitam,
cùm colis cælibatum,
ne in nomine quidem alterum ingredi finis sexum.
Queruli mali de nutritione questionem,
e. Vnde ememus panes?
Vnicâ panum soluis propositione.
f. ô Dive novæ legis Achimelech,
à facie Domini sublato pane,
tuos reficis unctos;
& ad Sacra Religiosæ domûs adita,
non modo homines,
sed nec panes admittis laicos,
Filijs Lucis,
tanto illustrem prodigio instruens mensam;
g. alteram statuis ΗΛΙΟΥ ΤΡΑΠΕΖΑΝ.
Cætera clementissimus,
inclementem meritò exilio mulctas famem.
sunt, quibus fides in culinis calet,
h. spes in foco iacet:
tu omnia edulia perosus in regione morientium,
quam speras, percipis annonam de terra viventium.
Hæc te verè spes non fallit, sed alit.

---

e. Vnde ememus panes, Ioan: 6. f. Achimelech Sacerdos, David in Regem uncto panem petenti, respõdit non habeo Laicos panes ad manum. neque enim erat ibi panis, nisi tantùm propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini. 1. Regum 21. g. Apud Æthiopes, est locus apparatis epulis semper refertus, ΗΛΙΟΥ ΤΡΑΠΕΖΑΝ, *solis mensam appellant, affirmantq; innasci subinde Divinitus fercula. Pomponius Mela de situ orbis lib: 3. cap: 10. h. Tertuliani sententia.*

LEMV-

LEMVRES NOCTV E TEMPLO POST ORATIONEM VENERABILI IN MANVM ACCEPTO PELLIT.



Nocturnas ſolis percellunt ſpicla volucres,
Reſtituit claram Lux ubi nata diem.
Ioſaphat eſt noſtro pro quantum ſidus in orbe!
Quod ferit infernæ mõſtra nefãda ſtygis.
Ad tenebras tenebræ, vobis niſi nulla ſimultas
Eſt cum Lucifero Ioſaphat, eſte ſimul.

ELOGIUM XXIII.

i. Actutum fuge inferne Madian,
En novus Gedeon Iosaphat,
Vocali precum tubâ, tuo præcinit exitio.
lampadem manu præfert,
nam,
k. Lumen in testa, Divinitas est in carne.
Incautis ne pestem affles.
l. Lumine collustraris solifuga.
m. Supra pinnaculum templi prolatum audax deorsum,
in templo expia, cedendo retrorsum,
foris patratæ hic expiantur culpæ.
Lex olim data per Moysen,
n. sonante tonitru, micante fulgure:
Plena tonante Iosaphat manus,
dum te fulminat ô Styx,
Legem tibi pudendæ ponit fugæ,
ad Regnum sine Rege,
ad exlegem populum, vbi nullus ordo,
iter imperat.

---

i. De Gedeone Madianitas sono tubæ & lampadum fracturâ vincente, Iudic. 7. k. S. Gregorius 2. Moral: homil. 34. l. In Sardinia Animal perexiguum, simile Araneis, quòd solem fugiat, solifuga dictum. Solinus in Polyhistore cap. 10. m. Math. 4. n. Exodi 19.

Supra

o. Supra crystallinum Persarum in prælio solem,
vos hic fugat ô tenebræ;
p. cuius oriens nomen est.
q. Apud nouissimum & primum,
nec prima, nec nouissima hæc est victoria.
Quis, nisi hic, incestam illam naturam æternæ flammæ custodem,
r. malarum Vestalium supplicio ex alto impellens,
ex Hespero fecit Luciferum?
An non & tu alium orbi exhibuisti Isaiam Iosaphat?
inuocâsti enim Dominum,
s. vt umbras has reduceres retrorsum.
Quod si vt corporum ita operum molem,
metiri liceret ex vmbris,
Maiora te gessisse quàm geri possent diceremus.
Quantæ enim vmbræ sunt,
quæ cæca patent in nocte,
& ipso terminantur Auerno?
Sed Diuinorum non tuorvm operum præco,
Iulianum cum Carolo vt corrigas trilogium;
Inquis;
t. Veni, vidi, Christus vicit.

---

o. Ante Darium procedentem ad bellum Macedonicum, crystallinus ferebatur sol. Curtius. p. Ecce vir oriens nomen eius, Zachar. 6. q. Ego sum primus & nouissimus, Apoc. 1. r. Vestales, incestûs conuictæ, de rupe præcipitabantur. S. De umbra reducta in horologio Achas. 4. Reg. 20. veni, vidi, vici, Iulij Cæsaris vox est. Plutarchus.

ALIE-

ALIENVM ÆS EXOLVTVRVS, POST ORATIONEM AB IGNOTO IVVENE, 600. ACCIPIT DVCATOS



Aurea ſolvũtur nũquam niſi vincvla ab auro,
  Ferrea ceu ferrum ſolvere vincla ſolet.
Rumpitur é fuluo cõſtructa catena metallo:
  Cum celſos pulſas ſupplice voce Polos.
Ioſaphat eſſe mihi Chryſoſtom9 ergo videris,
  Aurum quæ ſoluunt, aurea verba puto.

ELO-

ELOGIUM XXIV.

u. Non soli vincula fontium auro fabricant Automolæ,
quot quantique nostris in terris, auro dato,
tot obligatos sibi tenent debitores.
Ita nimirùm,
quod natura esse voluit omnium,
habendi cupiditas fecit paucorum.
Aurum homines,
a. custodiunt vt Gryphes.
Hoc nonnisi totâ venale est libertate;
datur, ut sis obstrictus danti.
Hem tela necessitatis ferrea,
quæ nos vincula implicant in aurea.
Maiorem gloriam ratus Iosaphat,
compedes non sustinuisse;
quàm rupisse:
Blandæ Dalilæ, rerum terrenarum cupiditati,
b. Antagonistam, sororem bonæ mentis opponit paupertatem.
c. Vinctos aureis vinculis in mendicitate.
Soluturus à ferrea servitute.

---

u. Apud Automolas Aethiopiæ populos, propter copiam, aurum in minore pretio est, ære exornantur, fontes, vinciunt auro. Pomponius Mela de situ orbis lib. 3. cap. 10. a. Gryphi, sæuum & pertinax ferarum genus, aurum terrâ egestum mirè amant: & custodiunt, & sunt infesti attingentibus. Idem. lib. 2. cap. 1. b. Soror bonæ mentis paupertas. Guevarra in Horologio Princip. c. Vinctos in mendicitate. Psal: 106.

pro


pro aurea Cælo ſupplicat libertate.
Latere ſolitum metallum in profundo,
miſſum accipit ex alto.
Ite iam crudeles ſcrutariorum operæ.
quos mala viperarum indoles,
d. aut Neronis occupavit ingenium.
Proh materna telluris ſcrutamini viſcera,
vſque ad ipſas auri venas.
e. En qui veſtræ ſtruitis ſepulchra concupiſcentiæ:
dum montium & collium jma ſubruitis;
tacente ore, vocali manu, dicitis
montibus, cadite ſuper nos,
f. & collibus operite nos.
O Felix aurum!
cuius Magnes Ioſaphat extitit oratio,
g. & labor labiorum eius,
operuit alieno ſpoliatos ab ære.
Volante cælum verſus dum fertur manu,
& celeritate geminat beneficium, & orbi exhibet miraculum
dum quæri ab alijs ſolitum.
Ipſum Ioſaphat quærit aurum.
Dabit ſemper bona cælum mortalibus petentibus,
Si erogare velint egentibus.

---

d. Viperæ per roſum maternum uterum, prodire in lucem dicuntur. Nero, Matris interfector, de quo illud cuiuſpiã extat dictum, ſcrutatus eſt ferro materna viſcera, ſcire cupiens an ferrea eſſent, quæ talem genuerunt. e. ſepulchra concupiſcentiæ, numerorum 11. f. Lucæ 23. g. Pſal: 139.

AN I

ANIMARUM SALUTI, IN OMNI LOCO. ET OCCASIONE VACAT



Roſcida punicei qualis poſt nubila cæli,
Omnia conſpicuis recreat imber aquis.
Non habito talis rerum diſcrimine, fundit
Ioſaphat eloquij larga fluenta Sacri.

Cælorum mediis in terris incola ſalve,
Qui cæli genio vivis & ingenio.

ELOGIUM. XXV.

Vſque adeò prodigum eſt in noſtra commoda cælum,
vt cum nullo diſcrimine proſit omnibus:
proijci magis, quám dari putes beneficium.
ſoli beneficia terrigenæ ſpargimus in ſemina.
ſolùm quærimus, quod gratiam reddat cum fænore,
Tardè & in paucos benefici,
triſtem beneficijs induimus frontem:
dum diu nos noluiſſe, & paucis benè voluiſſe probamus,
Noſtri ſidus Poli Ioſaphat,
Cæli, & ſiderum induit ingenium:
prodeſſe ſe arbitratus nulli,
Si non prodeſſet vel vni.
ſit ſua Epicteto fides,
rorem pluvium hominum ſermonem aſſerenti.
h. Nam Ioſaphat eloquium dum ut ros pluit,
i. bis vernantem floribus, noſtras terras vertit in Campaniam.
Iam arida repullulant,
mortua reviviſcunt,
Vivuntque illi ſingula, cui omnia vivunt DEO,

---

h. Fluat ut ros eloquium meum. Deut. 2. 1. Campaniæ plaga eſt nil mollius cælo, deniquè bis floribus vernat Florus. Lib. 1. cap. 16.

K

quis

Quis ampliùs credat,

k. Sterilis soli ingenium nullo meliùs vomere subigi quā gladio.

quando huius roris illapsu,

opum senticeta in beneficentiam,

inopiæ salebrosa reflorescunt in tolerantiam.

l. Hùc qui quasi Ciconum bibissetis flumen,

quod tactis inducit marmora rebus;

Ad bonum adamantini,

ad malum cerei:

Agere prompti humana,

pati segnes Divina:

m. Vos mollem Gedeonis vertit in lanam Iosaphat,

quæ superiùs Divinæ gratiæ bibat irriguum.

n. Pensili de zona horreo,

incassum aureæ messis proventus spondeat Stratocles,

è semente judiciariæ iniquitatis.

nil nisi tribuli alienæ pullulant calamitatis.

Aureus, aurei oris ros,

Pretiosos vitæ melioris germinabit fructus,

& decrepita ætas ferrea, juvenescet in aurea

---

k. Pater Ines in elogijs Regum Poloniæ. l Flumen habent Cicones quod potum, saxea reddit viscera, quod tactis inducit marmora rebus. Seneca lib. Natur. quæs. 3. ex Ovid. m. De vellere Gedeonis à rore irrigato. Iudic. 6. n. Stratocles Iudex, quoties ad tribunal ibat, saccum suum compellans, aiebat! sacce, sacce, eamus ad auream messem. Plutarchus in moral.

CREBRIS JMPETITUS PERICULIS
DIVINA VIRTUTE SERVATUR ILLÆSUS.



Apparat insōti celerē plebs improba mortem,
Iosaphat, & rabidas fulminat ore minas.
Attamen in mediis tutus salvusque periclis,
Non nisi sidereo vivit ab auxilio.
Iosaphat Ætherei certus cùm civis Olympi
Sit, pro cive Polus corripit arma suo.

ELOGIUM XXVI.

Armatus ſit oportet quem oderim,
aiebat Macedo:
o. & ipſe Pompeij hoſtis, neminem occidit, niſi armatum.
Fortium nimirum Virorum iræ, palám aggrediuntur armatos,
imbellium odia,
clam obruunt inermes.
Quoties iam unus non moreretur Ioſaphat,
ſi pro inermi, in armis non excubarent aſtra.
Et quid ni pro ſuo Polus arma ſumeret municipe,
qui Cælum, votis, meritis, iam dudum occupavit.
p. Segnes digitorum Romanorum Cuſtodes DEOS,
q. ride Carthago,
cùm in duobus annulorum modijs,
dignitatem equeſtrem taxas menſurâ.
ô evanida inanium Deorum præſidia,
r. quæ hominum ſine ſuis non interfuêre periculis!
s. Ridiculam à ligato DEO auxilij ſpem habetis ô Tyrij!
cum aureis ad arcis cuſtodiam Apollinem religatis catenis.
Qui cælum æquè ac terram implet,
totus oculus, totus manus DEVS,

---

o. Seneca de benef. Lib. 5. cap. 16. p. In digitis deos geſtabant Romani. Plinius in horol. Princip. pag. 80. q. Bello Punico, 2do poſt cladem Romanorum, modij duo annulorum Carthaginem miſſi, dignitaſq́ equeſtris taxata menſurâ. Florus lib: 2do. cap. 6. r. Romanorum tot de dijs ſpolia, quot de gentibus trophea. Minutius in Horol: Principum. S. Curtius lib. 4.

NOSTRO

Nostro vbique Præsuli, imminens periculum,
Vidit præsens, avertit potens.

t. Catilinaria in meliorem Patrem Patriæ odia,
toties disparvêre.
Manus internecino ligatas Sacramento,
rupto dissipavit Numen vinculo;
Vt dum sunt singulæ,
non auderent quod auderent omnes.
Periuri citra scelus,
obstrictam feliciter Violârunt fidem,
veræ assertore fidei relicto in integro.
Qvin & ipse Iosaphat, insidiatorum illatus in conspectum,
arma manibus,
odia excussit mentibus,
vincente inermi clementiâ,
succumbente armatâ sævitiâ.
Nunc. si quando fides veteri abrogata est proverbio.

Nam ante credidimus.
Vnum nè Herculem quidem posse contra duos;
Iam cernimus,
Nè duos Hercules quidem contra vnum Iosaphat,
u. dum in protectione DEI cæli commorabitur.

---

t. De Catilinæ coniuratione in Patriam Cicero in Catilinariis. u. Psalmo. 90.

AR.

Archiepiscopus Polocensis creatur.



Quis magnū ſūmi non credat pōdus honoris,
Quod ternæ poſſunt nōniſi ferre manus?
Grandiús auget onus ſacræ Crux ipſa tiaræ ,
Non ſemel Herculeis crux metuēda viris.
Eſt leve pōdꝰ honor dignis, crux ipſa, volatu
Inclyte te celeri Præſul in aſtra feret.

ELO-

ELOGIVM. XXVII.

Ad vocem Vaticanâ Petri è cymba ſonantem,
a. emeritæ dignitatis duc in altum Ioſaphat.
Omnium in te oculos, omnium in te animos,
hos ad æmulationem, illos ad venerationem;
Omnes ad magnæ virtutis amorem poſtquam traxiſti:
&: humana, & ipſos rapuiſti homines.
b. Grandium igitur meritorum reus, aras apprehende maiores:
Sed cùm ad omnes honorum rumores,
incredula ſit animi tui moderatio;
in ore trium teſtium ſtat & hoc verbvm.
Sacer Antiſtitum adeſt triumviratus,
triplici trium flaminum flamine potens,
Si vel totam ſpiret Photius, diſſipabis Æoliam:
Et triplici à Sacro ternione accepto,
c. Spiritu labiorum tuorum, interficies impium.
Sacra hæc tiaræ peripheria,
tuæ virtutis ambit centrum,
Rectum de uno capite ſenſum, in ſuo coronat domicilio,
aut ipſo æternitatis Symbolo circulo,

---

a. Duc in altum. Lucæ 5. b. Rei, olim arâ apprehenſâ ſalvi manebant. c. Iſaiæ 11. In ore duorum aut trium teſtium, ſtet omne verbum, Matt: 18.

conſce-

consecrat ad æternitatem.

Paſſi pro homine DEI Signum deſuper,
vt Regum, ita Pontificum cruciariam ſeijcit coronam,
Si enim Regem, quid ni & Pontificem bonum,
publicum dicam ſervum?
Si cæſar, multò ampliùs Pontifex,
d. ex quo orbi terrarum ſe dicavit,
ſibi eripuit.
e. vt pote ex hominibus bono hominum aſſumptus:
at, quàm glorioſum eſt per adverſa ad vſum ſecundorum venire?
f. Cui Saracenus Othomannicâ in porta imponit Cidarim,
cùm careat anteambulone ad ſuperos Cruce,
reſpiciat inferos.
Te ò Neo-Pontifex,
cruce ad gloriam initiari non ambigimus.
Ab huius Signi Ligno,
regnavit & ipſe DEVS.
Magnis malorum impendiis,
magna bonorum parantur compendia

---

d. Cæſar ex quo orbi terrarũ ſe dicavit, ſibi eripuit. Seneca Conſolat: ad Polybium cap: 26. e. omnis namq; Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur. Ad Hebr. 5. f. Conſtantinopolitani Patriarchatûs collator Turca.

L SVM

Summam animi Moderationem in magnis servat magistratibus.



Cælorvm rhãnus contendit ad alta ſuperbus.
Reſpiciunt Patrium Lilia pulchra ſolum.
Rhamne ſed elato tellurem vertice lambes.
Lilia veſter erit menſa vel ara locus.
Nã tellus humiles extollit ad aſtra, ſnperbos
Deſuper iratus fulminat ipſe Polus.

ELO-

g. Multi postquam fortunæ se permiserunt,
dedidicêre naturam:
cùm parem magnæ felicitati animum adferre non possent:
sui impotes homines,
ascenderunt vsque ad DEOS.
Pudet orbem sui capitis Romæ,
cuius rarus olim Princeps,
qui non idem Deus.
summus in summo Magistratu Iosaphat,
noverat magni pectoris esse inter secunda moderationem,
nunquam in solido stare superbam felicitatem,
& ingentium Imperiorum magnas moles,
oblivione humanæ collabi fragilitatis.
Toto igitur humi serpebat fastigio.
Luctatoriam oleo inunctus ad arenam Præsul,
primum magnorum culminum hostem fastum, vt vinceret,
nobilis pugil,
inclinatione sui, singulare aggressus est certamen.
h. Acolytharum sat benè cinctus comitatu virtutum,
assectarum exclusit greges.

---

g. Charidamus Dario Persarum Regi dixit. Curtius Lib: 3. cap. 5.
h. Acolythus ex vi vocis Græcæ, significat subsequentem.


Spectavit orbis nonnullos,
i. æqualitatis metu vsum pedum amisisse:
super ora & capita humana elatos,
bipedes, tumoris malo,
degenerâsse in apodes.
Præsul cùm præesset omnibus,
Lectum se meminerat ex omnibus;
hos inter gradiebatur vt æqualis:
imò nonnunquam plantarum officium genibus aggressus,
k. non quocunque alio tantùm,
Sed & se minor ipso,
l. Nouus inter Præsules Locticus,
non naturæ parsimoniâ, sed virtutis apparuit imperio.
Citra arrogantiam liberalis,
pompam beneficijs detrahebat;
publicâ famâ rectefactorum tibicine exclusâ,
omnia vni committebat dextræ,
m. nè quid sciret sinistra.
Ita periculosissimam multis, fortunæ intemperantiam,
parco secundorum vsu exclusit,
tam securus à casu
quàm liber ab ambitu.
n. Imperium quippe ambientibus nihil medium inter summa & præcipitia.

---

i. Plinius in Panegyricis. k. Græcæ Ecclesiæ ritus est in Ecclesijs stando orare. l. Vladislaus Locticus Rex Polonorum ob staturam cubitalem sic dictus. m. Nesciat sinistra tua quid facit dexta. Math. 6. n. Taciti sententia.

DE

DE MODICIS FACULTATIBVS LIBENS EGENIS TRIBVIT.



Improbus infames mundus convertit in usus,
  Ampla metalliferi munera sæpe Tagi.
Munifica miseris confert cùm munera dextrâ
  Iosaphat, exiguas quám bené spargit opes.
Grandia cõvivas numerant nã robora parcos,
  Humana gracilis carpitur uva manu.

ELO

o. Cum Iano Iani dudum periêre Calendæ,
quibus
prior ipsis divitibus ad usum opum accedebat paupertas,
quærebatur non qui daret Cresus:
sed qui acciperet Irus:
quasi beneficus in dantem
accipiendo.
Iam pessimo boni publici veneno, suâ cuiq: cupiditate imperante
aut prodiguntur opes in vnum,
aut conferuntur in nullum.
p. unius Vitellij gulæ, àëris undarumq; vastitate litatur;
q. triticum ore tenax claudit Midas,
inïquo judice palato.
pretium grande exiguis ponente rebus,
non urbium modò ex Catonis sententia,
r. sed & hominum maturantur fata.
vt pauperum se gerat Iosaphat Patrem,
s. tollit penuriam pretiosæ cupiditatis Matrem.
Inedia vivere solitam,
cibo oblato enecat:

---

o. Lex veterum erat vt nemini fas esset publicè festum agere, nisi priùs sui vici pauperibus opulentè prospexisset, & hac beneficentiâ Ianum deum colebant. In horol. Princip. Lib. 1. pag. 186. p. Vitellius cœnâ à fratibus exceptus est: in qua duo millia piscium, septem avium apposita sunt. Massenius in Palæstra styli. Lib: 4. cap. 37. q. Midas Puer triticum in os à formicis illatum fortiter tenuit. Guevarra in Horol: Princip. r. Cato censorinus, asseruit urbem illam salvam esse non posse, in qua piscis maioris quam bos veniret. Massenius superiùs. s. Gregorius Nazianzenus.

xerum


rerum inopia ditescentem,
oportuna largitione redigit ad incitas.
t. Ottonem frugi hominem ipso licet asserente,
nè crede posteritas:
u. laboratos auro ad pompam luxus dum apponit panes.
in metallum vertit fruges.
suæ obsonator auaritiæ,
Non alienæ medicus famis.
An non frugi homo Iosaphat?
qui ipsum aurum vertit in fruges;
ille minimè de magno,
hic maximè beneficus de modico.
u. Divinæ plané æmulus beneficentiæ,
multiplex & minutum in egentium deplùit sinus.
sint ex sapientis placito, cæteris,
diuitiæ aut periculum aut onus:
Extra insidias Iosaphat aurum est,
cùm in manu reconditur pauperum.
In divitum thesauris grave tendit deorsum,
in pauperum manticis leve volat sursum:
dum largitorem inserit cælo.
Alieno eminet avaritia,
in sublime eluctatur beneficentia de suo.

---

t. *Otto Cæsar dicebat aut frugi oportet esse hominem aut Cæsarem.* u. *idem panes aureos suis apponebat convivis. Pater Canon in elogijs Luceoriensi Episcopo scriptis.* u. *Apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. Exodi 16. de manna dicitur.*

GRAVI

GRAVI FLAGELLATIONE SÆPIUS CORPUS LACERAT.



Fortis in extremam tendit lucrator arenam,
Frangat vt adverſæ robur & arma manús:
Aſpera ſed validus bellator Ioſaphat arma
Dum capis, his, ipſum te petis, atq; feris.
Ingentis grandem menſuram cerno triũphi,
Hoſtis nam tantus quantus es ipſe cadit.

ELO:

ELOGIUM. XXX.

a. Qui ter fortiter egerit, militia vacet:
Lex aiebat Romana.
Ne fatigatæ fors felicitati toties victor miles, molestus esset;
aut vt tutius semel possideret in pace,
quod ter pepererat in bello.
Vna enim est ad fortunam securitas, non toties eam experiri.
Vt condendæ ita seruandæ fortunæ,
par Iosaphat,
Sæpiùs victor, sæpiùs in arenam descendit:
Vnà grandem animum non implente victoriâ,
palmas palmis,
Lauros accumulavit lauris.
Hostem quæris?
b. cùm se ipsum sibi posuisset contrarium,
domesticus fuit.
Dominam seruientium, seruam dominantium carnem,
servilibus armis meliùs quàm nonnulli seruos,
c. flagris & virgis aggressus est.

---

a. *Seneca Lib. Controversiarum, Controversiâ 8.* b. *Quare me posuisti contrarium mihi. Iob. 7.* c. *Scithæ cùm Asiatico bello detenti seriùs domum redirent, velut aduenæ à servis armatis, finibus prohibebantur, cùm variâ victoria pugnatum fuisset, vbi armis relictis, dominorū iure vsi, virgas & flagella in aciem protulerunt, quos ferro non vicerant, metu verberum servos vicerunt. Iustinus lib. 2do.*


Nè deesset quem vinceret;
penitus cum posset, non delevit hostem.
Pestifera vis est quæ valet ad nocendum;
grande licèt crudele tamen facinus,
proprio vt servias honori,
alienæ dominari vitæ:
humanis è venis derivato sanguine,
in suæ decora laborare purpuræ.
Dominato purpuratus decore refulsit Iosaphat,
cùm vno eodemque die ad maximi splendoris pompam,
d. induit dibapham:
suo bis tinctus sanguine.
Imò ardore pugnandi aperta respirante per vulnera,
novi facem belli nec ipse restinxit cruor;
vnius exitus pugnæ, initium fuit sequentis.
Io fortissime Athleta!
e. Nazareo olim robori terribilem hostem,
tecum circumducis in triumphum.
cùm fuso rubet à sangvine,
victum se erubescit.
cum pallet, vinci iterum metuit.
Triumphales victori nè desint phonasci,
non levi pollice, sed integrâ tacti manu artuum nervi,
omnigenæ concentum edunt virtutis.

---

d. Dibapha bis tincta purpura ex Græco. e. de Samsone victo à suis cupiditatibus. Iudic. 16.

DVM

DVM DE NOCTE ANTE IMAGINEM VIRGINIS SACRATISSIMÆ ORAT, LVCE ILLVSTRATVR SVRSVMQVE LEVATVR.



In Divum rutilos effundis Iosaphat ignes,
Inter nocturnas inclyta Virgo preces.
In tenebris lateat Lucis nè filius, orbem
Hunc proprii ostendis luminis obsequio.
O felix á Te meruit qui dicier hic est,
Et demonstrari, pro digito, radiis.

ELOGIUM. XXXI.

Glorietur Romanus in Regno suo solem oriri & occidere;
f. dispergat cum Sole manus.
g. Nos te ô Mulier amicta sole;
h. citra Persicam superstitionem,
semper orientem,
nunquam adoramus occidentem.
ô Beatissimum illibatæ Lucis phænomenon,
i. ô sidus quod non obstantibus Antipodis,
Vel in ipsa nocte Lucidissimum explicas diem.
En qui ingens tuæ Lucis pandis serenum!
contra Astronomici morem solis,
k. qui crescentes decedens duplicat vmbras;
terræ propior, lucem geminas, pro vmbra:
l. Iosaphat à tua claritate, transformante se in claritatem.
m. Ad relictas solem metas manu Violentiore reducat Prophæta:
Suavia amoris vincula, relictas iterum te retrahunt ad terras:
Nazaretanum Polociæ reddis Horizontem.
sed en electricam novi sideris vim,
En Beatissimus terris eripitur spectator,
n. Tales nimirum rapiuntur atomi.

---

f. Dispersit cum sole manus. Claudianus de Rom. Imperio scripsit. g. Apoc. 12. h. solem orientem adorabant. i. Sol cùm nobis occidit, oritur apud Antipodas. k. Virgilius. l. Transformatur à claritate in claritatem 2. Corinth. 3. m. 4. Reg. 20. n. Atomus indivisus ex Græco

qui

Qui toti affixi Polo,
nulla sui parte tenentur à solo.

o. Pater mi, Pater mi, currus Isràël & auriga eius?
siccine te igneus à tuis dividit currus?

p. At circulus hic flammeus, halo est, augur procellarum.
Mæsto nonnunquam prælucent funeri ignes ætherei,

q. Hi Augusto, Seiano, Germanico,
pro funereis fuêre facibus.

Verum tu altior rebus humanis, hæc despicis vt infima:
Nulla serenum vmbra turbat,
Vbi æqualiter fulget omne cæli latus.
Dedignantem interea terrena pupillam,
Cæsarei comes spectaculi,
Empyreo imple lumine.

r. Aram cæli erige,
Et dedicatam Pontificalibus ceremonijs,
dic aram visionis magnæ.
Hoc quippe sidere, hac virgine,
nec ipse inter homines maius videt DEVS.

---

o. 4. Regum. 2. p, Circa lunam lucis subobscuræ circulus, halo dictus, procellas portendit, Hortensius Pallavicinus in Elogijs. q. mortẽ præfatorũ lux in àëre visa anticipavit, Plinius natural: quæst: lib 1. cap. 1. r. Augustus Imperator aram cæli erexit; idem in àëre radijs solis circũdatam Virginem cum Puerulo vidit, Nicephorus Lib. 1. cap. 17.

HÆRE-

HÆRETICA CALVINIANA AD SE ACCEDENTEM IOSAPHAT CANIBVS IMMISSIS ARCET. Sed blandos expertus canes Iosaphat, Matrona conversa Catholica moritur.



Se medijs diri rapientem é faucibus Orci
  Iosaphat, insipiens temnit & arcet ovis.
Norunt Pastorem blādi sine voce molossi,
  Nec Dominæ servant improba iussa suæ.
Hæreseos rabidæ faciunt hoc pocula Circes,
  Plùs homine ut sapiat desipiente canis.

ELO-

ELOGIUM XXXII.

In rebus humanis sæcula & personæ intereunt,
Causæ & eventa eadem recurrunt.
Iterum bella belluis geruntur,
s. Non Pænorum Elephanti,
t. sed Castabalensium primam aciem obtinent canes.
Ad regnum erroris tuendum,
t. ab ipso Garamantum Rege petitur militia.
Heu quàm segne in commoda,
impigrum in sua damna genus hominum!
A limine salus arcetur,
& tam peregrè in proprium laboratur exitium,
suo malè tuti cum ansere Husitæ,
u. Venerabile Canisij nomen,
probroso olim canum lacerarunt in vocabulo,
a. Parum fidos quondam Romanis canes,
contra amicum Romanis Iosaphat, armat Calvinus:
Dux fæmina facti.
Ita superis placitum est,
Vt ad clementiæ quæ inter pacificos latet commendationem.
clementissimus Pastor. hanc incideret in Rixam.

---

s. Pæni adversus Romanos Elephantis pugnabant. Florus de bello Punico Lib. 2 cap. 2. t. Castabalenses canibus in bello productis primas acies instruebāt. t Garamantum Regem ducenti canes ab exilio reduxerunt, præliati adversus resistentes. Solinus in Polyhistore cap. 20. u. Patri Petro Canisio in Germania Hæreticos insectanti, Husitæ, ab Hus scilicet anser Bohemicè dicti, occinebant. Hinc procul este canes, pro nobis excubat anser. a. Invadentibus Gallis capitolium, Romæ, canes siluerunt, ab Anseribus Galli proditi. Livius lib: 5. cap. 47.

in qua

in qua;
morbus corporis, in ægritudinem degeneraverat mentis.
Phrenesis quippe malè valentis animæ est,
suam amantem salutem odisse.
At Iosaphat, humanas iras,
Divinis extinxit amoribus.
b. Rixam, in aliam planè vertit Dobrogniewam;
cùm quod ante malè amaverat,
benè incepit odisse.
Iurata eiurati hostis Calvini,
Vt omnium operum quæ egit, hoc esset summum,
fuit extremum.
Nè posthac ampliùs quidquam ageret,
egit animam.
Fortunata, cui ad vmbras migranti,
Iosaphat adfuit Phosphorus.
In longam concludens lumina noctem,
dum non vidit, credidit.
Ipso quippe aurium ministerio contenta fides,
excludit oculos.
Illius nemo capacior,
quàm qui minimè oculatus.

---

b. *Rixa Casimiri Poloniæ Regis Mater, Dobrogniewa, Vernaculâ linguâ, benè irascentem significans, eiusdem consors. P. Ines Lechiados parte 2. pag. 121.*

Fru-

FRVCTVM SINGVLAREM EX ADVERSIS PERCIPIT.



Noxia proficuam præbent aconita medelam;
Multa venenato prodit ab angue ſalus.
Ex ipſis Præsul ſumit ſic commoda damnis,
Illi mella parit fel, amaror amor-
Ergo mali totus terrarum Ioſaphat orbis
Nil feret, illius ſunt bona quando mala.

Inventus eſt lapis quidam à Brachmanibus: partim naturalis in ſerpente concretus, quem Luſitani ſerpentem piloſum vocant, partim ex varijs Venenoſorum animalium potiſſimùm huius ſerpentis portionibus confectus, intoxicatis præſentiſſimũ præſtat antidotum. Pater Athanaſius Kircherus in China illuſtrata, num. 80.

ELOGIUM XXXIII.

Fertilis adversorum tibi semper evolvitur autumnus
ô Iosaphat!
e. Vbique in mala incidis Punica.
Hæc in auge planè positi furoris æstus maturat,
vt ipsa horum te saturitate interimat.
At bonam indolem nec ipsa malé nutriunt aconita;
Virulento ærumnarum veneno epoto,
d. plùs Mithridate proficis.
Ipsa detrimenta vertis in lucra,
odia accipis,
amores reddis.
vt iam dubium sit,
qui amari à te velit
odisse ne te, an amare debeat.
Cum fœnore beneficus in maleficos,
vitam eripere satagentibus brevem,
Vitam offers perennem,
Linguarum maledicta,
oris, & Pontificiæ manûs soluis benedictionibus.
Quod si magnum exemplum non nisi mala invenit fortuna:

---

e. Persecutio à Græcis Disunitis innuitur. d. Mithridates veneno lentè sæpiùs sumpto: nulla post & si sumeret metuebat venena. Curtius.

DVM

Dum experitur ignem in Mutio,
paupertatem in Fabritio,
venenum in socrate, e.
quantus sis & quantum possis,
Victrix tot adversorum prodit tolerantia:
Vt iam non solius vrbis Romanæ, f.
sed & Tua magnitudo calamitatibus approbetur.
Rex gemmarum adamas,
ideo illustrior, quia infractior.
Princeps lapidum purpuratus corallium,
non rubet nisi auram passus,
omnes decus quod habet,
illi debet á quo patitur.
Plane & Tibi,
maiores iniuriæ maiori locum faciunt fortunæ.
Reposuerit hucusq; mundus,
omnem in prosperis beatitatem:
Sed bené, malæ fidei refutas possessorem,
dum novæ in orbe fortunæ Protoplastes.
in calamitatibus felicitatem,
in aduersis reperis prosperitatem.

---

e. De Mutio in vrenda manu imperterrito, de Fabricio, qui fictilia sua auro samnitico præponebat. Florus. de Socrate [illegible] hauriendo veneno bibit. Plinius. f. vrbis Romanæ magnitudo calamitatibus ferè approbatur. Florus.

VITEBSCUM ITER INSTITUENS,
TVMBAM SECVM DEFERT.



Vltima mortalis feriunt quem fata diei,
    Atque parit crebros trux Libitina metus.
Obiectâ meditatæ Mortis imagine, morti,
    Vivet felices abſque pavore dies.
Noxia mortiferæ linquet mors tela pharetræ,
    Ne iaculo vſam ſe petat ipſa ſuo.

ELO-

ELOGIUM XXXIV.

Plerique inter mortis metum & vitæ tormenta miseri fluctuant,
& vivere nolunt,
& mori nesciunt.
g. Sepulchrum vt humanæ superbiæ metuunt Basiliscum;
Sepulchralis spectator vrnæ Iosaphat,
mortem vbi reddit sibi familiarem,
eam non metuit vt hostem,
sed & si vltimo acrior insurgat in agone,
futuras meditantem iam diu pugnas,
benè paratum incidet in Athletam.
Res quippe præliorum optimè disponuntur,
h. Vbi in pace tractantur.
i. Non rectè Chrysippus,
pulc... ædificia immortales animorum nobilium dixit præcones,
Qu... Regum pergama populator ignis vertit in busta,
Leuia ventorum ludibria;
Sacro occinente oraculo,
k. memo... ...estra comparabitur cineri.
Maternis terræ in ...ceribus custodiendum,
an non melius Iosaphat co...dit monumentum?
l. Thebanæ cum virtute legis violator,

---

g. *Basiliscus intuitu occidere dicitur.* h. *Casiodorus.* i. *Clara & splendida ædificia, nihil aliud sunt quàm immortales animorum nobilium præcones, Chrysippus in Horol: Princ: Lib. 1. cap. 40.* k. *Iob. 15.* l. *Apud Thebanos nulli fas erat ædificare domum, ántequam sibi priùs sepulchrum construeret. in Horol. Pricip: Lib. 1. cap. 41.*

condi-

condidit sepulchrum;

m. non ante sed post structam Domum, non manu factam:

operis Magistro DEO, opifice bona Voluntate.

n. Ad infamē vivi Pacuvij sepulturā BEBIOKE occinant phonasci,

ô meram mero viventis hominis mortem non vitam;

morituro in vitam Iosaphat,

pulchrum vixit tacitum ingeminat sepulchrum,

Qui omnia Vivendi tempora,

non longiore sed meliore implevit vitâ,

Citra piaculum mortem ambit,

imminentis præscius pugnæ,

o. Lacedæmonio robore, non vitam cogitat sed sepulturam;

diem præstolatur extremum,

Vt melioris vitæ primum.

Moriantur cæteri & non victuri,

qui vivunt, ut non morituri:

Iosaphat morietur perenniter vi[...]us,

qui vixit semper, ut brev[...]oriturus.

---

m. 2. Corint: cap. 5. n. Pacuvio syriæ Domino dum à cœna temulentus ferretur, occinebatur BEBIOKE *vixit Seneca Epist: 12. lib. 1. ad Lucilium. o. Lacedæmonij, Tyrthei vatis carmine incitati contra Athenienses pugnaturi, tesseras manibus alligarunt, ex quibus post mortē dignoscerentur. Iustinus lib: 3. pag. 44.*

SVIS

Suis Animosus Obviat interfectoribus.



Impavidus rabidos agnus venit ante Leones,
  Atque ſubit poſito certa pericla metu.
Dat virtus animos, diri nil curat Averni
  Mōſtra, nec infenſi Schiſmatis arma pavet.
Victima Schiſmaticū placabit an iſta furorē?
  Poſt Agnum, num plús hunc, furor eſuriet.

ELOGIUM XXXV.

Avidam periculi virtutem, quæquò tendat,
non quid passura sit cogitat,
aspice spectator.
Armatorum, inermis,
Vnus multorum in conspectum venit Iosaphat.
p. Nil est millenis tergum maris cernere sub pedibus,
nil integra copijs propinare flumina,
si primus sis in fuga, postremus in pugna.
Stipator fidus cordis pavor,
sexcentos inter præsidiarios servatur non pellitur.
Virum agnosce,
qui solus venit ad pericula:
cui tàm turpe est ab hoste precarí mortem quám vitam.
Quod cæteri fugiunt.
ille obuius sponté fit Leto:
in ipso minimè infelix infortunio,
quia sic impavidus.
Dura quippe inter pauidos alitur fortuna, cedendo,
gliscunt adversa metu.
Mors propè mortalibus casus est:
hanc vt indeclinabilem pauci expectant avidi.

---

p. *Xerxes quædam maria pontibus sternebat septingentorum millium Persarum & ducentorum auxiliariorum ductor, flumina ipsa ad exercitus indigentiam exsiccavit, primus in fuga postremus in prælio. Iustinus lib. 2. pág. 30.*


omnes

omnes horrent trepidi:
Ex destinato vivere assuetus Iosaphat,
casum & fortunam in consilium non admittit,
Vitam offert non eripiendam, sed à sponte offerente auferendam.
Nihil enim eripitur nisi retinenti.
Ad suspicionem vulneris tyro pallescit:
audacter cruorem suum Iosaphat cernet,
præscius, victoriam fortibus evenire, etiam post sangvinem.
Quod si illud solum bonum est,
ad cuius amissionem præparatus est animus:
Vitam amissam non numerabit inter damna,
qui ipsam mortem reponit inter lucra,
Viator olim in orbe Deus, animam positurus pro vnione,
q. (nam vt utraque faceret vnum)
nefarios obvius excepit sicarios:
Facit secundum exemplar in horto monstratum Iosaphat,
Obviat moriturus pro vnione.
Quàm verè sui premit vestigia Magistri,
tam piè vivens, quàm fortiter occumbens.

---

q. *Qui fecit vtraque unum, Ephes: 2.*

GRAVI VVLNERE IN CAPITE ACCEPTO DIE DOMINICA ANTE LVCEM OCCVMBIT MARTYR.



Funereã plantare cupit dũ Schisma cupressũ,
In secto Divi vertice Pontificis.
Assurgit victrix pro tristi palma cupresso,
Atq; triumphales spargit utrinq; comas.
Vnica Martyrij namq; est victoria, vinci,
Et sunt ipsa salus vulnera, vita, mori.

ELO-

ELOGIUM XXXVI.

Huc, & non aliò Vulnus ictu venire debuit á Schismatico
caput Schisma dividit,
caput petit,
Cæterùm acatholico sensu,
nunc crudeli manu:
Vt iam ipsis fides pateat ex operibus.
Malè se agere, ipso lucis odio probat impietas:
nam scelus ante lucem aggreditur.
Sed nullæ malefactoribus illunes sunt noctes.
En quî in alto Præsulei capitis cælo, patet crudelitas;
& hiante latè vulnere, velut ore,
innoxius clamat sanguis.
r. Vtinam novæ Bellonæ Sacerdotes,
suo crudelitati litâssent cruore,
Verum qui nomini Romano hostilitatem iurârunt,
s. altero ab Amilcare, Photio, aris admoti Pæni,
t. alienum sanguinem pro formoso habent spectaculo.
interea de tuo non de alieno purpurate Præsul,
nil Sidonijs. aut Tyrijs debes fucis:
sume purpuram.

---

r. Bellonæ Sacerdotes suo cruore sacrificabant. Lactantius. s. Amilcar Pater, Annibalem Filium adhuc duodennem aris admovit, vt hostilitatem nomini Romano iuraret. Livius. t. Annibal fossam humano sanguine plenam cùm vidisset, exclamavit, ô formosum spectaculum! Seneca de Ira lib. 2. cap. 5.

à Vertice defluentem vſque ad calcem.

u. Superbiſſimus quondam plantarum frutex,

a. in vertice Nazarei regnavit, non ſine Sanguine:

à pedeſtribus inſidijs ad caput Altiſſimi eluctatus,

probavit,

aſperius nihil eſſe humili, quàm cùm conſurgit in altum;

Ex imis terræ cavernis erutum ferrum,

armatâ non ſine manu, hem crudele in capite occupat regnum,

tuo tamen militat honori:

Nam cruento hoc à pondere prolapſus,

ad quantam Martyr gloriæ aſſurgis ſublimitatem.

b. Quidni iã clavigero illi, pro quo dimicas vſq; ad ſãgvinẽ clames,

aperi mihi:

c. caput meum plenum eſt rore,

& cincinni mei guttis noctium.

Septimo iam hoc die ab opere requieſce:

omnem actionem felici conclude paſſione.

Nam, & ipſe,

d. requievit die ſeptimo, ab omni opere quod patraverat,

DEVS.

---

u. De Rhamno Rege arborum Iudic. 9. a. de ſpinea Chriſti coronatione Marci 15. b. Ioſaphat pro primatu Petri mors. c. Cant. 5. d. Geneſis 2.

cru-

CRUDELI DIU TRACTATUR MANV.



Corpora magnanimo ſatis eſt proſtrâſſe Leo-
Effera ſcit certum Tygridis ira modū. ni,
Terminus humanas nullus complectitur iras,
Hic modus eſt illis namq; carere modo.
Ergo feras adeat plebes male ſana Magiſtras.
Mitior vt ſit homo, bellua fiat homo.

ELO.

ELOGIUM XXXVII.

Magnum in insontes crudelitas teneret imperium.
si homo tam tardè moreretur, quàm serò nascitur.
Non in alto latet spiritus,
nec ferro eruendus est.
Sed auida sanguinis innoxij impietas.
agendorum omnium metam,
nam vltimam rerum lineam prætergreditur:
cum belluarum ritu, vltra ipsam sævit mortem.[e]
e. Non humanum imitantis sangvinem uvæ color Elephantos;
sed ipse cruor ad nova prælia has animat belluas.
Mortuum non credunt sicarij,
quem vivere cuperent,
vt iterum moreretur.
Exegit ab omni membro tributum avara crudelitas,
nulli aut sangvinem condonavit aut integritatem.
f. In numerato apud ipsum DEVM habiti capilli,
velluntur sine numero,
Defæcatæ ad maturitatem ætatis insignibus, ereptis sævitia,
provectum annis Præsulem,
ad novas facit iniurias reiuvenescere.

---

e. *Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & mori ad acuendos eos in prœlium 1. Mach: 6.* f. *sed & capilli capitis vestri numerati sunt Lucæ. 12.*


Vigilem boni Pastoris pugnis obnubunt pupillam,
vt confidentiûs in dispersum domesticorum sæviatur gregem.
proh quò gravis petulci gregis ascendit levitas,
cùm simulachrum virtutis,
formam sanctitatis,
vultum involavit in Martyris.
Calcibus impetitus,
g. hos insons Hyppolitus per sonipedes,
ad invia & devia raptatus est.
Schismate, Phædram,
monstrosâ crudelitate Phocam maris supplente.
Ferax Furiarum Vitepsum
h. Tot Megeras tot Tisiphones multiplicat,
ad alienæ exercitium toleranti,
propriæ specimen sævitiæ.
Ad exsaturanda in Iosaphat diu nutrita odia,
nulli, nec antelucano parcitur labori.
i. Tentatus nimirùm per omnia dolorum discrimina Pontifex,
nè aliquid non tolerâsse videretur,
ab omni ætate & sexu passus est.

---

g. *Hyppolitus Thesei Filius ob castimoniã Phædræ novercæ insidijs petitus est, nam Egeus é mari Phocam misit, quo monstro territi equi, currum rapuerunt, Hyppolitumq; discerpserunt. Servius.* h. *Furiæ Tres à Poëtis finguntur Alecto Tisiphone, Megera.* i. *Habentes Pontificem tentatũ per omnia. Hebr. 4.*

ADDITO

ADDITO SAXORVM PONDERE IN DVNA FLVMINE DEMERGITVR.



Omnia ſunt ſceleris teſtes elementa, patratū
Ampliꝰ haud poteris Schiſma negare nefas.
Terra tulit cædem. cælum ſpectavit, at æther
Audivit validos te feriente ſonos.
Excipit vnda ſacros merſi dum Præſulis artꝰ.
Eſt liquidus noxæ teſtis & illa tuæ.

È stato donato a me Don Michele Gorczynski Canonico Reg. Lateranense del Jus Canco e della Sac. Teologia Dottore e Professore in Casimiria oppo Crac.

ELO-

ELOGIUM XXXVIII.

Grandem grandium esse ruinam vt credas,
Pontificiæ probat cladis magnitudo.
En quî terras excedit,
dum ipsas pertingit ad aquas.
k. Quam non struxisset Pyram impietas,
nisi illustrati timuisset in flamma:
l. aut cui Haceldamæ sacrum non mandâsset corpus,
Si tantum in terra Sancta peregisset nefas.
Sed placuit Schismatis ingenium sequi,
& caput orthodoxi cætus, â corpore,
toto interposito dividere elemento.
ô te beatum Dunam!
Tyberina vnius familiæ gaza, grandem licet assurgat in insulam,
tuam non æquabit fortunam,
m. Iustorum Tyberis odiorum in hominem.
Tu bonorum in Deum amorum possides monumentum.
n. Huc huc ad hunc Eridanum Orthodoxæ Heliades,
vbi non fabulosi solis, sed veræ lucis Filius,
fulmineo concidit à furore.
Electricos lacrymarum imbres, pijs litate manibus.

---

k. Mos erat apud antiquos cremare mortuorum corpora. l. Haceldamath intra horas 24. cadaver absumit. In Pereg: Hieros. Radivilij pagina 24. m. Insula in Tyberi assurrexit, ex proiectis Tarquiniorum in flumen bonis. Massenius in Palæstra styli Lib: 4. cap: 25. n. Eridanus Solis filius fulminatus in Italiæ fluvium cecidit, & fluvio nomen dedit: hunc Heliades sorores ploravêre electricis Lacrymis.

P, Pretiosæ


Pretiosa in conspectu Domini morti tales debentur lacrymæ,
Præficæ publici luctûs Voces, hanc intonent næniam:
à facie iniquitatis sublatus est iustus,
& erit in pace locus eius.
Benigniores quippè experietur aquas quàm homines;
Quá in oculis impiorum caruit pace,
ea in imò fluminis perfruetur sinu.
n. Non parco vnctus pollice, Christus Domini,
oleo rem omnium sævissimam, mare, tranqvillante,
& Dunæ in malaciam componet fluctus.
Bina quicunq; cogitas saxa;
dic peractæ ad omnem crudelitatis regulam cædis,
binas appendices:
nisi Vltimos ad extrema progressæ audaciæ vocare malis lapides,
sed moveat sanè non hos paucos,
sed & omnem lapidem impietas:
suo tantùm pondus addet sceleri:
Martyris properantis ad palmam non impediet iter.
Congesta namq; in Martyrum supplicijs onera,
tortores deprimunt ad ima
tortos elevant ad summa.

---

n. *Oleo in mare fuso, fluctus maris ad tranquillitatem componi scribit Plinius lib: 2. cap. 13.*

Pro-

PRODIGIO NON VNO PROXIME
A MORTE ILLVSTRATVR.



Qualis post noctis densas aurora tenebras,
Sidereo rutilum fundit ab axe iubar.
Tristia Dive Tuæ talis post funera vitæ,
Multiplicis fulges Lumine prodigii.
Felix cui ipsæ Lumen tribuêre tenebræ,
Cùm cadis & moreris, clarior exoreris.

ELOGIVM XXXIX.

Iam parricidale odium portum attigit,
Cùm Dunæ ſtetit in littore.
Extinctum penitus cenſuit Ioſaphat,
poſtquam toto obruit flumine.
Sed qui ſuperſtes orbem virtute illuſtravit ſua,
poſt fata virtute clarior refulſit Divina.
o. Velatus nubium ſipario cæli oculus,
p. etiam malis negari non ſolitam, negando lucem:
Sacrilegos interfectores ipſis malis notavit peiores;
q. & qui fraternâ Thyeſtis & Atrei odia fugit in fabula,
Parricidij ſcelus ne cerneret,
obſcuratus apparuit in hiſtoria,
Cogant ad funebrem næniam poſthumes,
r. nonnulli cum Herode ferro,
s. plerique auro;
Cæli Ioſaphat lugendus eſt ſeu exemplo, ſeu imperio,
Ad cuius luctum compoſito ad ſqualorem invitat colore.
t. Tenebrarum exteriorum ſupplicia,
u. terroribus Domini contrà ſe militantibus,
iam prælibant in horrore tenebrarum Filij.
ſuum vnicuiq; theatrum vt ſceleris ita virtutis conſcientia;
improbis vltrices exhibet furias.

---

o. Poſt Mortem ſol obſcuratus. p. Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, Math: 5. q. Atreum fabulantur Poëtæ filios Fratris Thyeſtis coxiſſe, quod ſcelus addunt Solem noluiſſe ſpectare. r. Herodes, vt funeri ſuo illachrymantes haberet, moriens ſupplicia Iudæis extrema decrevit. Baronius A. 7. s. Præficæ erant apud veteres, quæ mercede cunducebãtur, vt in alienis funeribus lacrimarentur. varrho t. Ejcientur in tenebras exteriores. Math: 8. u. Terrores Domini militant contra me Iob. 6.

bonis palmas profert & lauros.
Militant quandoque contra sontes,
a. Angeli armis,
b. aër avibus,
c. vnda piscibus;
& ante dictam causam,
accusator, Iudex, Supplicium, ipsum rei fit delictum
d. Rumpit Sacer seræ repagula calix,
maiori hostia iam litatâ cælo, sacrificium peractum.
Pedo sursum indicat verso:
aut sacrum labijs in terra lambit sangvinem:
& insontis Agni dedicatum sangvine,
innocentis Martyris cruori offert conditorium.
e, Lucis officium cùm sit rapinas prodere:
index è siderum domo columna,
ereptum terris per aquas indicat Iosaphat.
In cassum iam peieratis homicidæ:
nescire vos Iosaphat sepultum,
quem noluistis vivum;
Terminalem hanc columnam vestris astra ponunt mendacijs.
hoc in fundo latet veritas,

---

a S. Venceslao contra Ducem Curimēsem procedenti, hastā Angelus visus est porrigere. In eius vita. b Ibici cædem grues prodidere. nam moriens sicarijs minatus est, grues fore testes mortis suæ; quos cùm prætervolantes homicidæ in medio populi viderunt, & Ibici testes aves vocaverunt, proditi sunt c Theodoricus Simache interfecto ad mensam accesserat, in qua cùm piscis Lucij caput inferretur: clamans Theodoricus, Ecce Simachi caput, ecce Simachi caput, ad conclave tremens & mœstus fugit: Baronius, A. 526. d Scrinium in quo sacer calix, cum alia ad sacrificandū supellectile asservabatur nullâ vi reserari poterat: at postquā ad locum sangvine Martyris conspersum ventum est, cista è manibus erupit, sponte patuit, & calix exiliens locum sangvinis labijs texit, pede sursum verse.

e. negantibus locum demersi Iosaphat homicidis, columna in aëre lucidissima demonstravit.

quæ in ore Pontificis nunquam obscura.
& nunc est in liqvido.

f. In Britannici metalli naturam transisse plane credo Iosaphat,
ipsis ardet in aquis:

g. quando vibrato per vndas prodit se lumine.

h. Glacialem fluvius non admittit pontem,
ne caput Orthodoxi cætûs transeuntium sit sub pedibus;
nisi fors clementiæ optimi Præsulis tribuas,
quòd præsens vetuerit tergum fluminis pulsari,
ferro, calcibus, vngulis.

i. Salve itaque citra fabulam ablutum in aquis sidus.

k. ascendis & Tu super occasum:
nam hic vbi occideras,

l. formosior è tuæ Lucis thalamo progrederis ut sponsus.
siderum naturam imitatus,
non luces, nisi vt prosis.

m. En qui cæli non viderat lumen. videt tuum.

n. ipsos Clinicos vt leves è lectulis trahis atomos,
Tui veneratione incalescentium calor animorum,

o. æstum fugat febrium,
Ad gloriæ tuæ serenum.

---

f. In Britannia, Gagates nigrogemmeus ardet in aqua, oleo restingvitur. Solinus in polibist: cap. 25. g. Radius ex aquis promicans, vbi quære, dum esset corpus sacrum monstravit. h. obseruatum est, præter morem: Dunam non fuisse congelatum, ante repertum corpus Martyris i. solem in mari lotum clariorem prodire fingunt Pöetæ. k qui ascendit supra occasum. Psal: 67 l. Tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Psal: 18. m. Cæcus illuminatur cilicio Martyris oculis apposito. n. Immedicabilis manuum morbus, infirmâ accurrēte ad tangendū saxum, quod collo Martyris erat appensum sanatur. o. vino quod reliquias Divi Martyris tetigerat, hausto, gravissima febri laborans convalescit.

p. vel ab ipſis ſpectatores evocas vmbris,
fatorum neceſſitati ereptos.
q. Iam & Schiſmati caput Eccleſiæ apparet vnum,
r, cui ad ambiguum Saracenæ Lunæ lumen
capita viſa ſunt fuiſſe duo.
s. Nefariè extenſas ad tua damna manus & pedes,
Divina in nodum contrahit Nemeſis.
Ita nimirum, inſontum pro Deo interfectores,
ſuæ infelicitatis artifices,
noſtræ ſunt fabri fortunæ.
Dum pœnas luunt, quas meruerunt,
nos lætamur Martyribus, quos ipſi fecerunt.
Et vt Petrum & Paulum Romæ,
Stephanum Hieroſolymæ,
ita Ioſaphat Eccleſia debet Vitebſco,
Romæ Gentilibus,
Hieroſolymæ Iudæis,
Vitebſci Schiſmaticis:
Eâdem manu in ſuum ſupplicium,
quâ in noſtram laborantibus felicitatem.

---

p. Domeſtici Ioſaphat, graviſſimè vulnerati & à medicis derelicti, invocato Divo Martyre, repente convaleſcunt. q. Schiſmatici, à morte Ioſaphat nonnulli convertuntur. r Schiſmatici aliud Conſtantinopoli ſub Turca Eccleſiæ caput credunt. s. Fæminæ, quæ præter cæteras, acriùs in Ioſaphat deſæviebat, genua vſq; ad labia attracta ſunt, nec poterant dum viveret medicinis vllis, & vbi mortua eſt, vllâ vi avelli.

VIN-

VINDEX SCELERIS ET MORTIS DESTINATVR ILLVSTRISSIMVS DOMINVS *LEO SAPIEHA PALATINVS VILNENSIS.*



Huc huc auſpicijs propera Leo magne ſecūdis
Sacrilegum Iudex opprime iuſte ſcelus.
Te Princeps populuſq; legit, nā teq; tuoq;
Quis telo vindex aptior eſſe poteſt?
Gentilem iaculi damnat crux bina furorem,
Fert Leo terrorem, vulnera cuſpis habet.

ELO-

Sacrilegio, digno quod Orbis viribus expiaretur,
quis aptior vindex quam Leo?
Robore, consilio, Virtute,
par sui nominis magnitudini heros;
i. multiplicem hydram in venenata tot capitum coniuratione,
ferro domare gnarius & igni.
Phrenetica consilia cum malesanis capitibus,
suo merget in sanguine.
Sentient conscij Pontificiæ cædis Cives,
u. omnem impietatem Perilli taurum esse:
Et ut authorem torqueat.
ipsum scelus migrare in pœnam.
Gentilitij teli cuspide, dum feriet sacrilegos;
Vulnus orthodoxæ fidei in flictum,
salutari crucis sanabit signo.
Insignibus DEI conspectis
a. novi Phocenses nequicquam fugitis:
alatus vltor ubiqve conseqvetur,
Vaferrimos bipedum,
b. Divisum caput, magis quàm Isidem pes, prodet in fuga. c.

i. De hydra Lernæa, multorum capitum ab Hercule ferro & igne interempta notum est. u. Perillus Atheniensis ut Phalaridi placeret, torqvendis hominibus, taurum æneum fabricavit: è quo vox tanquam mugitus prodiret pro mercede eidem tauro inclusus est & flammis exustus. a. Pro Apolline contra Phocenses, qui templum eius Delphis occupaverant, bellaturus Philippus Macedo, omnes milites coronas laureas sumere iubet. Phocenses insignibus Dei conspectis armis abiectis fugam capessiverunt. Iustinus lib. 8. pag. 8. b. Io seu Isis, Filia Inachi Regis Argivorum, à Iunone in vaccam mutata, dum fugeret, vestigio pedis terræ impresso circulum o. & divisa vngula: i exprimebat, sicq; se ipsam prodebat ita Poëtæ: c. Schisma duo capita dicit Ecclesiæ.

terga vertitis?

Rea ad ictum offerte pectora.

Malè ſibi promiſſi elapſus Prophætis,

d. Leo occurret in via.

DEI & cæli hoſtibus formidabilis.

e. Byſſo & purpura obvolutâ occurrant Lyſimachi dextrâ,

diſertam pro Superis non ſtringent Leonis linguam:

Alij ad moram itineris aurum iaciant;

f. Vngarico in Litvania prodigio,

aurum deſpiciet vt lapides.

Dives domeſticis fortunis Sapichana oneraria,

g. aureas non metuit remoras.

Exiguum magno ſceleri nè ſit ſupplicium:

vltra omnes plectemini terras.

Ipſo Dunâ reorum tincto ſanguine,

ad ſceleris expiationem,

Feracibus monſtrorum vndis.

& hoc impietatis accedet portentum.

vt tanto tellus purgetur á contagio;

vindice Leone,

dum vivitis, ubique pænas luetis ſacrilegi:

vt ſi quando, nunc certè,

ſæcula diſcant;

h. indomitum nihil eſſe pio, tutumque nocenti.

---

d. Invenit eum Leo in via. 3. Reg: 13. e. alluditur ad Largitiones. Alexander magnus Lyſimachum Macedonem cum Leoni diſcerpendum obieciſſet, Leoq; impetum feciſſet: Lyſimachus amiculo involutam manum, in os Leonis immerſit, arreptâq; linguâ feram exanimavit. Iuſtin: lib. 16. nū. 149. f. Cùm militem S. Ladiſlai, vngariæ Regis perſequentem barbaros, proiecti aurei in via remorarētur pius Rex precibus ad Deum fuſis, aureos vertit in lapillos. In vita illius. g. Remora piſcis in mari, vbi ſe navibus applicuerit, eas detinere in cæpto itinere ſcribitur. h. Claudianus.

AD B. IOSAPHAT ARCHIEPISCOPUM POLOCENSEM MARTYREM:

PRO LIBELLO, HONORI EIUS SACRO, ET PRO ILLVSTRISSIMÆ DOMUS SAPIEHANÆ PERENNI FELICITATE

ODE.

Et iam faventûm non ſine Numine
Divum, recuruis anchora dentibus
Littus momordit. Ceu relicti
Remigium vaga Regna Ponti
Faſtidit; ipſi cùm propior ſalo
Tellus, quieto riſit in otio,
Scenam repandi lætiorem
Exhibuit nemus, & theatri:

Postrema tandem sic vbi linea
Venit labori Symbolico, iuvat
Lauro fatigatam Virenti
Cum calamo redimire dextram.
Quidquid uirili robore, & arduo
Tentauit ausu, Iosaphat inclytum
Lumen tiaræ, candidati
Eximium iubar & senatus,
Illiterato sera silentio
Nè sæcla possent stringere, testibus
Signata chartis, hæc locavi
Præsuleæ monumenta famæ.
O qui Volatu præpete desides
Emensus oras terrigenum, Polo
Sublimis alto, fulguranti
Regna super populosque curru
Ferris, serenæ sidere purpuræ
Non indecorus Martyr, & aureo
Perfusus almæ lucis imbri
Empyreos imitaris ignes:
Aurem Minervæ da facilem, Venit
Ex ante cultis quæ tibi sedibus,
Totique voces vulgat orbi
Præsulei famulas honoris.

Quin

Quin & Polonis grande trionibus
Nomen, Sapiehas, belligeri decus
Mavortis Heroas, Polorum
De ſupera ſpeculatus arce,
Muni Patronæ præſidio manus:
Lunæ ſuperbum ſeu Mareoticæ
Cornu refringunt, ſeu cruenti
Littora depopulantur Iſtri:
Seu Tauricano ſanguine lividos,
Enſes, potentis robore dexteræ,
Vibrant Gelonorum per omnes
Impavidi volitare turmas:
Formidoloſos hoſtis acinaces,
Aut ingruentûm fulmina glandium,
Nimboſque telorum proteruos
Laurigeram temerare frontem
Veta. Pudendo Thracius impetu
Ruat Gradivus donec, & obviis
Fugatus armis, vulnerato
Anteeat ſua ſigna tergo.
Seri perennent, quêis Violabili
Exempta Leto gloria, ſegreges
Metatur annos: dum futuris
Facta notat memoranda ſæclis.

Tum

Tum Martyr aram Dive tuam prope,
Illuſtriori condita lipſana
Viſam ſepulchro, baſiumque
Prociduo reverenter ore
Libabo, Sacras Angelicæ dapes
Interque menſæ, commeritæ diu
Æternitati conſecratum,
Ioſaphat ingeminabo nomen:
Et qui feroces Biſtonas impigro
Ferro fatigant, bellipotentibus
Graves Muſurmanis Sapiehæ,
Barbaricis onerata telis
Trophæa, Sacro Præſulei tholo
Templi dicabunt, cum labaris leves
Figent ſariſſas, aegideſque,
Æmoniæ monumenta pugnæ.

APPROBATIO CENSORIS

Librum, qui inſcribitur, ICO NES SYMBOLICÆ vitæ & mortis B. IOSAPHAT Archi episcopi Polocenſis Martyris, R. P. ANDREA MLODZIANOWSK Soc. IESV elucubratũ, legi: in qu nihil fidei Catholicæ Romana aut bonis moribus contrariũ ad verti, ideoq; dignũ qui imprima tur, cenſui. 9 Decembris. 1675.

ALBERTVS MĘKALSKI Soc: IESV, S. Th, & I. C, Doctor ex deſignatione Illmi & Rndiſſimi D. Loci Ordinarij Librorum Cenſor VILNÆ,

Ignatius Michael Goverynski I. U. ac S. Th. D.
pro Bibliotheca Domus Professae Canonicorum Regula-
rium Lateranen. S. Corporis Christi Casimiriae ad Crac.
applicavit.